

Ex legato Dni D. Equitis Antonii Francisci de Marinis

CHRISTIANI FALSTERI

MEMORIÆ OBSCURÆ,

QUARUM PARS

I. SCRIPTORES QUOSDAM ROMANOS, HACTENUS FERE INCOGNITOS,

II. INGENIA QUÆDAM ROM. QUÆ LITTERARUM GLORIA ABSQUE SCRIPTIS FLORUERUNT,

III. MONUMENTA NONNULLA INCERTORUM AUCTORUM, TITULOS ET FRAGMENTA,

IV. URBES IMPERII ROM. STUDIORUM LAUDE FLORENTISSIMAS

COMPLECTITUR.

UNA CUM INDICE NECESSARIO.



HAMBURGI,

Apud THEOD. CHRISTOPH. FELGINER. 172

GENEROSO & PERILLUSTRI

FRIDERICO ROSTGARD,

DOMINO PRÆDII KROGERUP ET INSULÆ ANHALTINÆ,

S.R.M.DAN. ET NORVEG. A SUPREMIS CANCELLARIÆ DANICÆ CURIS, A CONSILIIS STATUS ET JUSTITIÆ, AB ARCHIVIS &c.

PATRONO SUO BENEFICENTISSIMO

S. P. D.

CHRISTIANUS FALSTERUS.

VIR ILLUSTRISSIME!

NISI Triſtem *meum* Ovidium *tam ſerena fronte tam benigno Biblio-*

the-

thecæ TUÆ *hoſpitio jam ante excepiſſes, merito huic libello meo in aurem velut dicerem, quod ille ſuo Eleg. I. Triſt. v. 69-72. metuerem omnino*, *quod* Epictetus *ſubmonet Cap.* 52. Ὅταν φοιτᾷς πρός τινος τῶν μέγα δυναμένων, πρόβαλλε, ὅτι οὐκ εὑρήσεις αὐτὸν ἔνδον, ὅτι ἀπεκλείσθη, ὅτι ἐκτιναχθήσονταί σοι αἱ θύραι, ὅτι οὐ φροντιεῖ σοῦ. *Sed non eſt*

quod metuam. Novi æquitatem animi TUI *& liberalissimam indulgentiam, in quam Clientes* TUI *tum maxime peccare* TIBI *videntur, quum nihil peccant, id est, graviores curas* TUAS *nihil morantur, nullo litterarum negotio otium* TUUM *interpellant. Novi sublimes & plane singulares virtutes ingenii* TUI, *bo-*

bonis artibus ad exemplum usque & immortalem nominis Danorum gloriam deditiſſimi. Novi incredibilem TUUM *in litteratos amorem, cujus ego teſtis non infimus ſum, licet infimus teſtium.* TUORUM *itaque in me beneficiorum memoriæ* OBSCURAS *has* MEMORIAS *confidentiſſime conſecro, FAUTOR EXIMIE.* TUO *Muſeo,*

tot ſpectaculorum litterariorum generibus prorſus mirabili , rudes has Scriptorum *quorundam Romanorum imagines &* Monumentorum *tabulas, vetuſtatis injuria fere victas, honorificentiſſimę dedico.* TUO *patrocinio litteratas meas in provinciis Romanis* Urbes *tanquam Deo tutelari venerabiliter commendo. Brevi: totum me*

me TIBI *commendo*, TUUMQUE *in ſinum ſtudia mea adverſus iniquitatem fortunæ abdo. Fortunæ, inquam, non meæ, ſed totius patriæ, quæ* Manlio *aliquo* Vopiſco, litteras pene fugientes *ſtrenue* vindicaturo, *quam maxime indiget. Agedum, GENEROSISSIME DOMINE, ſuſcipe cauſam communem*, TUISQUE

Rempublicam noſtram litterariam meritis ita ornare perge, ut ſuos exteri Patronos, TIBI *συγχρόνους, tantopere admirari nobisque objicere deſinant, Itali ſuos Cardinales* Corſinum, Ruſpolum, Imperialem &c. *Luſitani ſuum Comitem* de Ericeyra, *Hiſpani ſuum Dominum* Ludovicum Curiel, *Galli*

ſuum

ſuum Ducem de la Force, *Cancellarium* Daguesseau, *Præſidem* de Valbonnais, *Abbatem illuſtrem & præpotentem* Bignonium &c. *Angli Heroem ſuum*, Carolum de Halifax, Jacobum Hill &c. *alii alios. De reliquo audaciam meam & exhortandi fiduciam ita interpretare*, INDULGENTISSIME

PA-

PATRONE, *ut nihilo minus porro ex animo mihi ſtudeas benevolentisſimo, tenerosque meos in litteris profectus inæſtimabili* TUO *favore alere & promovere adnitaris.*

Dabam Ripis Cimbrorum
ipſis Idibus Januar.
cIↄIↄCCXXII.



PARS I.

DE SCRIPTORIBVS QVIBVSDAM ROMANIS,

QVORVM MEMORIA VELVT INCLVSA VISCERIBVS BIBLIOTHECÆ ROMANÆ HACTENVS DELITVISSE VISA EST.



PRÆFATIO AD PARTEM PRIMAM.

MIratus ſæpenumero fortunam terræ Græciæ, quæ tot præclara ingenia, tot illuſtria litterarum exempla procreavit, ſæpiusnumero mirari ſoleo prudentiam Græcorum, qui velut prævisa temporis & fatorum iniquitate, quo teſtatior diuturniorque foret litteraria gentis ſuæ memoria, Vitas & Scripta Clariſſimorum Virorum litteris opportune & fideliter tradiderunt, *Philonem Herennium Byblium* puto, *Lampriam*, filium Plutarchi, *Callimachum*, *Hermippum*, *Antigonum Caryſtium*, *Damaſten* Sigeenſem, *Glaucum Rheginum*, *Speuſippum*, *Ariſtoxenum*, *Dicæarchum*, innumeros alios. Quorum Scripta licet interciderunt, tituli tamen ſuperſtites immortalitatem Scriptorum

 cu-

custodiunt. Sæpissime vero mirari subit indiligentiam ROMANORVM, qui studiosissimi ceteroquin Græcæ diligentiæ imitatores, *Acta Populi* & *Senatus*, *Belli* &c. sanctissime observarunt, *Eruditorum* pessime neglexerunt. Intuere, quæso, universa Historiæ Romanæ, quæ ad litterariam referri possunt, momenta dicam an monumenta? Paucissima certe ætas imperii Romani tulit, pauciora ætatem tulerunt. Unus fere post *Ciceronem* de Claris Oratoribus, Auctorem *Dialogi* de caussis corruptæ eloquentiæ, *Quintilianum* (Lib. X. Cap. I.) de Auctoribus & Poetis Rom. superest *Suetonius*, cui Vitas suas debent Illustres Grammatici & Rhetores, (majori tamen parte per fortunæ nescio quam invidiam sublata) item poëta Terentius, Horatius, Persius & Lucanus. *Ausonius* de *Professoribus* præclare meritus est, maxime *Burdigalensibus*. Perierunt vero Libri *Cornelii Nepotis* de *Viris inlustribus*, in quibus non de Excellentibus modo Romanorum Imperatoribus sed & Scriptoribus egit, teste *Hieronymo* in præfatione Libri de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Dextrum p. m. 13. Perierunt *Varronis Hebdomades*,

mades, quæ imagines doctorum Virorum eorumque laudes continebant, item Libri de *Poëtis* & *Rerum Humanarum*, quorum ſex prioribus Vitæ illuſtrium Virorum perſcriptæ traduntur, ut Vitas Virorum non modo rebus geſtis ſed & Scriptis præſtantium, quas in litteras miſerunt *Santra* & *Hyginus* (v. *Hieron.* l. c.) nec non Libros *Tranquilli* & *Sedigiti* de *Poëtis* transeam. Recentiores demum Scriptores interruptam hanc telam ſerio exorſi, Auctorum Romanorum Conſpectum eorumque in litteras merita ſatis exquiſito ſtudio proſecuti ſunt, *G. Jo. Voſſius*, *Olaus Borrichius*, *Lilius Gyraldus*, *Jo. Henr. Bœclerus* &c. exquiſitiſſimo vero *Jo. Alb. Fabricius* meus, qui triplici eoque apparatiſſimo Bibliothecæ Latinæ Volumine Latium litteratum illuſtravit. Quorum quidem Celeberr. Virorum emendatiſſimas lucubrationes quod quantillis meis obſervationibus augere non dubitaverim, invidiæ minime futurum ſpero. Scilicet implorare hanc meam operam viſa ſunt tot illuſtria & vere deſideratiſſima Scriptorum Romanorum nomina, quæ longa nocte hactenus, quantum equidem

invenio, tecta fuerant, nisi quod unus forte alterve de iis, sed absque justa scriptorum commemoratione, meminerunt. Tu vero, BENEVOLE LECTOR, candide atque ut hominem decet, de homine judica.

Dabam Ripis Cimbrorum
postridie Kalendas Novemb. CIↃIↃCCXXI.

ACTE-

A.

ACTERIANUS, incertæ ætatis Scriptor, citatur a *Macrobio* Lib. 3. Saturn. Cap. 8. „Quidam legunt (in Virgilio)
„*Discedo ac ducente Dea flammam inter & hostes*
„*Expedior*
„cum ille doctissime dixerit *ducente Deo* non *Dea*, „nam & apud Calvum Acterianus affirmat legen„dum
„ *Pollentemque Deum Venerem*
„non *Deam*.„ Hactenus *Macrobius*, cujus *Acterianus* quid scripserit, parum constat, nisi *Licinium Calvum* poëtam illustrasse credendus sit, adeoque ad familiam Grammaticorum pertinere. (vid. *Quæst.* nostras *Romanas* p. 154. & *Sueton.* de Illustr. Gramm. cap. 4.) Ceterum cum *Calvo* suo jam pridem periit noster *Acterianus*, pro quo forte *Aterianus* scripsit *Macrobius*, & Historicum intellexit, qui Trebellio Pollioni *Julius Aterianus* vocatur in vita Victorini p. m. 378, de quo v. *Vossius* Lib. II. de Hist. Lat. Cap. IV. p. 183.

ACTIVS POSTVMVS. vid. *Postumus*.

C. ÆLIANVS a *Plinio* inter Auctores laudatur, ex quibus hic *Librum* suum *tertium Historiæ Naturalis* composuit, pro quo *Gellianum* reponi jubet *Jo. Harduinus* ex MSS. Tom. I. p. 19. nec sane temere, cum in ipso Plinii Libro citato cap. 12 diserte legitur: *Gellianus Auctor est, lacu Fucino haustum Marsorum oppidum* - -. Conf.

Jo. Alb. Fabricii Bibl. Græc. L. IX. cap. XXI. p. 697. Ceterum quis fuerit ille noster *Gellianus*, quidve scripserit aut quo tempore, me prorsus nescire fateor; neque enim in Historia Vet. Rom. hoc nomen me alibi legisse memini, præterquam in fragmento *Atei Capitonis* apud *Gellium* Lib. 13. cap. 12. *Quum a muliere quadam tribuni plebis adversum eum aditi, Gellianum ad eum misissent--.* Historicum eum fuisse crederes, quod ad Historiam pertinere videntur, quæ ex eo *Plinius* l. supr. cit. desumsit, quanquam Celeb. *Vossio* aliter forte visum fuit, qui in præclaro utroque de Historicis Opere memoriam hujus plane prætermisit.

ÆLIVS MELISSVS Grammaticus, sub Trajano & Hadriano vixit, de quo Gellius Lib. 18. cap. 6. princ. *Ælius Melissus in nostra memoria fuit Romæ summi quidem loci inter Grammaticos & temporis, (decoris* * legit *Gronovius) sed majore erat in litteris jactantia & σοφιςεία, quam opera. Is præter alia quæ scripsit compluria, librum composuit, ut tum videbatur, quum est editus, doctrinæ inclutæ. Ei libro titulus est ingentis illecebræ ad legendum scriptus: quippe est* DE LOQVENDI PROPRIETATE. Quibus *Gellii* verbis commotus Vir Clar. *Jacobus Dur. Casellius* mendosum

* Verba *Gronovii* sunt,, Vix me expedio, nisi legam ,,*loci inter grammaticos & decoris*,,. Ego vix dubito Gellium scripsisse - *inter Grammaticos id temporis*, ut Lib. I. cap. 23. *Si libri copia fuisset id temporis, quum hæc dictavi*; & Lib. II. c. 29. *id ferme temporis, ut appetit messis.*

ſum credidit locum *Nonii* Cap. V. num. 82. *Sed hæc definitio videtur abſurda. Ad hæc fidelius locupletiores*, mutandumque ita cenſuit: *Hæc differentia videtur abſurda. At hanc Ælius de loquendi proprietate.* Vide *Varias* hujus *Lectiones* Lib. I. cap. VII. Diverſi a Noſtro ſunt *Lenæus* & *Cajus Meliſſus*, nec non *Meliſſus* hiſtoriarum Scriptor, quem *Palæphatus* laudat initio libri de *Incredibilibus* p. m. 2. (conf. Notas *Martini Brunneri* p. m. 84. & *Voſſium* de Hiſtor. Græc. Lib. 3. p. 303.) item *Meliſſus* Ithagenis filius Samius, cujus vitam & dogmata breviter perſtringit *Laertius* Lib. 9. p. m. 442. & *Heſychius* p. 699.

L. ÆLIVS STILO, Grammaticus ſui temporis eruditiſſimus, clarus eſt inprimis teſtimonio Ciceronis in Bruto: *Fuit is Vir* (L. Ælius) *omnino egregius & eques Romanus cumprimis honeſtus, idemque eruditiſſimus & Græcis litteris & Latinis, antiquitatisque noſtræ & in inventis rebus & actis, Scriptorumque Veterum litterate peritus, quam ſcientiam Varro noſter acceptam ab illo auctamque per ſeſe, Vir ingenio præſtans, omnique doctrina pluribus & illuſtrioribus litteris explicavit.* conf. Quæſt. Acad. Lib. I. p. m. 35. Scilicet Magiſter Varronis fuit *Stilo* noſter, auctore *Gellio* Lib. I. c. 18. & Lib. 16. cap. 8. minime *Ælius Gallus*, uti contendit *Turnebus*, quem refellit *Lud. Carrio* Antiq. Lect. Comment. III. Cap. V. p. m. 62. De cognomine duplici *Ælii* noſtri, qui & *Præconinus* dictus eſt, quod pater ejus præconium fecerat, & *Stilo*, quod orationes

nobilissimo cuique scribere solebat, vid. *Sueton.* de Illustr. Gramm. c. 3. & Plin. Lib. 33. cap. 1. nec non Lib. 37. c. 1.

Scripsit porro *Commentarium de proloquiis*, de quo meminit *Varro* Lib. IV. de L. Lat. p. m. 36. & Lib. VI. p. 72. meminit *Gellius* Lib. XVI. cap. 8. Interpretatus est *carmina Saliorum*, uti refert laudatus *Varro* Lib. VI. p. m. 65. & cum eo *Festus* in *Molucrum*, *Manios*, *Pescia*, *Saliæ Virgines*, apud quem & nonnulla ejusdem fragmenta exstant in vocibus MONSTRVM, NAVCVM, NEBVLO, NVSCITIOSVS, OBSTITVM, ORDINARIVS, PETAVRISTÆ, PORTISCVLVS, SONTICVS MORBVS, SVBVCVLA, TAMNE, VICTIMA. Adde ex *Plinio* Lib. 9. Hist. Nat. Cap. 35. *Ælius Stilo Jugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodit.* (conf. *Salmas.* Plin. Exercitat. p. 1169.) Adde *Gell.* Lib. II. cap. 21. III. c 3. V. c. 21. VI. c. 15. X. c 21. &c. & *Quintil.* L. I. c. 6. De *L. Stilone* non opus est dicere, qui multis post annis vixit, occisus ab Imperatore Severo, uti auctor est in vita hujus *Ælius Spartianus* p. m. 321.

ÆMILIVS PORCINA, Orator, nemini ignotus est, qui legit illud *Ciceronis* in Bruto: *Marcus Æmilius Lepidus, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere quibus Galba, sed paulo minor natu, & summus Orator est habitus & fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. Hoc in Oratore Latino primum mihi videtur & lenitas apparuisse illa Græcorum & verborum comprehensio, etiam*

etiam artifex, ut ita dicam stylus. Verum ex *Orationibus*, quas commendat *Cicero*, nihil ad nos pervenit, præter fragmentum, quod apud *Prisciamum* observavi Lib. IX. p. m. 366. Æmilius Porcina Orator in Oratione, uti lex Æmilia abrogetur: *Tempore astiturum atque petiturum me abesse.* forte *ne abessem.*

ALBINVS aliquis, qui Geometricos Libros & Dialecticos in Aristotelem scripsit, citatur a *Boethio* L. I. de interpretat. cetera obscurus, quod pace tamen *Cassiodori* dixerim, qui Musices scriptorem eum facit & *Virum Magnificum* appellat. conf. *Boeth.* Lib. 2. Musicæ c.12. & *Fabric.* Biblioth. Græc. Lib. III. cap. XI. p. 273.

L. ALBVTIVS, Scriptor Satyricus fuit, uti conjicio ex verbis *Varronis* de Re Rustica Lib. 3.c.2. *Nonne item L. Albutius, homo (ut scitis) apprime doctus, cujus Luciliano charactere* (i. e. Satyrico scribendi genere) *sunt libelli, dicebat in Albano fundum suum pastionibus semper vinci a villa?* &c. conf. cap. 6. sub fin. ubi pro *quidam Albutius* emendatius forte *quidem* legeris*. *Quintilianus* Lib. II. cap. 15. *Albutium* aliquem laudat *non obscurum Professorem* atque *Auctorem*, (conf. Lib. 3. c. 6. p. m. 164.) sed is omnino alius est, &, nisi vehementer fallor, vel *Rhetor* ille, (*Cajus Albutius Silus*) cujus vitam in litteras misit *Tranquillus*

* Quam lectionem mihi confirmat *Petrus Victorius* Explicat. S. in Varr. Cast. p. m. 61. qui in optimis exemplaribus antiquis legi monet, *ut quidem Abuccius habebat.*

lus de Clar. Rhet. cap. 6. coll. cum *M. Seneca* Controv. Lib. 2. cap. 13. vel, quod verisimilius est, *Orator (Titus Albutius)* apud *Ciceronem* de Clar. Orat. p. m. 148. & Lib. 5. Tusc. Quæst. p. 1163. quem *A. Albutium* vocat *Apuleius* in Apologia p. m. 378. Epicureum puta, de quo *Gassendus* Lib. II. de vita & moribus Epicuri cap. VI pag. 44.

ALFIVS FLAVIVS, Historicus, quo tempore vixerit, non satis constat. *Vossio* de Histor. Lat. p. 694. circa Severi Imperatoris tempora vel aliquanto post vixisse videtur. Sed errat sine dubio Vir maximus, qui *Alfium Flavium* cum *Alfio Avito* Poëta confundit. Floruisse eum multo ante ævum *Severi* manifestum est ex *Plinio* Lib. 9. cap. 8. *Pigeret referre, ni res Mecænatis, Flaviani* (rectius forte *Fabiani*) *& Flavii Alfii multorumque esset litteris mandata.* Conf. Lib. I. ubi in Indice Libri IX. inter eos recensetur, quorum opera se usum *Plinius* fatetur. Scripsit is noster *Alfius* historiam belli Carthaginensis, cujus librum primum citat *Festus* in *Mamertini*. Conf. *Senecam* Controv. Lib. I. c. 1. & Excerpt. Controv. Lib. I. Decl. 1. Denique idem est, nisi fallor, *Alfius*, qui (verbis utor *Columellæ* Lib. I. de Re Rust. cap. 7) *vel optima nomina non appellando fieri mala dixisse verissime fertur*, quem Auctor ibidem *fœneratorem* vocat, exemplo forte *Horatii* Epod. 2. v. 67:

Hæc ubi locutus fœnerator Alfius
Jamjam futurus rusticus, &c.

C. AMARANUS APOLLINARIS, Scriptor

ptor incertæ ætatis, incerti argumenti, a *Julio Frontino* de Aquæduct. citatur Lib. I. c. 2. p. m. 2. (edit. A. 1523. in 8.) *Fontium memoria cum sanctitate adhuc exstat & colitur; Salubritatem enim ægris corporibus afferre creduntur, sicut C. Amaranus Apollinaris meminit.*

C. AMASINIVS, (al. *Amafinius*, sive *Amafanius*) nomen fere oblitteratum, sed memoria dignissimum, quod ab hoc auctore Philosophia primum Latinis litteris illustrata sit, teste *Cicerone* Lib. IV. Tusc. Quæst. p. m. 215. (edit. Venet. 1581. in fol. cum commentario *Aldi Manutii*) *Illius veræ elegantisque philosophiæ, quæ ducta a Socrate in Peripateticis adhuc permansit, & idem alio modo dicentibus Stoicis, cum Academici eorum controversias disceptarent, nulla fere sunt aut pauca admodum Latina monumenta, sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum, sive etiam, quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur, cum interim illis silentibus* C. AMASINIVS *exstitit dicens, cujus libris editis, commota multitudo* -&c. - *post Amafinium autem multi ejusdem æmuli rationis multa cum scripsissent, Italiam totam occupaverunt.* Ceterum quam ἀτέχνως noster scripserit, testis idem & judex est Lib. I. Qu. Acad. p. 35. *Didicisti enim non posse nos Amafanii aut Rabirii similes esse, qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant, nihil definiunt, nihil partiuntur* -. De grege Epicuri eum fuisse indicant porro verba *Tullii* Lib. XV. ad familiares Epist. 19. *Ipse enim*

enim Epicurus, a quo omnes Catii & Amafinii, mali verborum interpretes, proficifcuntur-. Memoriam *Amafinii* noftri intactam reliquit *Jonfius* de Scriptoribus Hift. Philofoph. quod fine invidia & diminutione Viri folertiffimi dixerim.

ANDRONICVS, poëta infignis, temporibus *Juliani* floruit, de quo jam pridem meminit *Lilius Gyraldus* Dial. VIII p. 880. teftimonio ufus *Ammiani Marcellini* (Lib. XIX. p. m. 458.) cui addimus illud *Symmachi* Lib. VIII. Epift. 22. ad Andronicum: *In ore tuo vernat Cecropia Mufa, mihi lingua Latiaris eft.-- Tu vero, ut es amicorum diligens, Bibliothecæ noftræ carminum tuorum divitias intulifti. - Tradam publicæ admirationi, quæ legenda mififti*-, Græca fc. poëmata.

ANNEVS PLACIDVS. v. *Placidus*.

C. ANNIVS. vide infra CANNIVS.

ANNIVS CIMBER (pro quo *Annæus* nonnulli, alii *Amens* legunt) clarus eft ex Epiftola Augufti ad Tiberium apud *Suetonium* in vita Augufti cap. 86. *Tuque dubitas, Cimberne Annius an Veranius Flaccus imitandi fint tibi?* - ad quem locum *Cafaubonus* in Notis: „Cimber hic ille eft „rhetor antiquarius, in quem lufit Virgilius epi„grammate eo, quod hodieque exftat in Catale„ctis & apud Quintilianum. *Anneius* is vel *An„næus* non *Annius* habuit nomen fi fides libris an„tiquis &c.

M. ANTONIVS, illuftre illud & fatis notum nomen in Hiftoria Romana, temporibus Augufti, *Epiftolas* fcripfit, de quibus *Tacitus* Annal. IV, 34, 8.

An-

Antonii Epistolæ (illæ sc. in quibus Augusto libertinum proavum exprobrat restionem, avum argentarium, vid. *Sueton.* in Aug. c. 2. coll. cum *Servio* in V. Æneid. & *Charisio* Lib. 5.) *falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent.* Scripsit insuper *refutationem Philippicarum*, teste *Plutarcho* in vita Ciceronis p. 882. ut & Antonii ipsius p. 916. item *Orationem* in funere Cæsaris, ibid. p. 921. atque in Bruto p. 993. Plura de hoc *Antonio* vide apud *Carolum Stephanum* in Lexico Historico-Poëtico, editionis Loydianæ Londini 1686. in folio.

ANTONIUS alius, eloquentiæ laude clarissimus temporibus Theodosii, *Orationes* varias scripsit, quarum unam præcipue laudat *Symmachus* Lib. I. Epist. 89. ad Antonium: *Non incognito quidem nobis eloquii splendore nituisti, sed magnis rebus accommodata & majestate scripti aptata, gloriam, quam magisterio ante quæsisti, recens auxit oratio. Nam præter loquendi phaleras, quibus te natura ditavit, simile quiddam planeque conveniens auribus Patrum, gravitate sensuum, verborum proprietate sonuisti - -. Fuit in illa oratione* (minime *ratione*, quod nonnulli legunt) *quod unusquisque diligeret, & pro ingenii sui qualitate laudaret - -.* Consulem hunc cum Syagrio fuisse puto (ad quem *Symmachus* postremas XIV epistolas Lib. I. scripsit) quo tempore Athenaricus Rex Gothorum Constantinopolin venit, ibique vitam exegit. Vid. *Cassiodori* Chronicon p. m. 695. Quam quidem conjecturam meam haud parum adjuvare

re videtur potentia & dignitas, quam Antonio nostro tribuit laudatus *Symmachus* lib. cit. Epist. 93. *Sanctum Zenonem commendare non debeo, quem scio ad clientelam tuam pertinere --.* conf. Epist. 90, 91, 92.

ANTONIVS CASTOR, Rei Herbariæ peritissimus Scriptor, ævo *Plinii* vixit, qui Lib. XXV. Cap. 2. *Nobis certe*, inquit, *exceptis admodum paucis* (sc. herbis) *contigit reliquas contemplari scientia Antonii Castoris, cui summa auctoritas in ea arte erat nostro ævo. Visendo hortulo ejus, in quo plurimas alebat, centesimum ætatis annum excedens nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria aut vigore concussis.* De *piperiti* ac *marrubio* quid tradiderit, vide apud eundem Lib. XX. Cap. 17 & 22. Conf. Lib. 1. in cujus Indice ab ipso Plinio sæpiuscule ANTONIVS CASTOR inter eos Auctores laudatur, quorum scriptis ad Historiam Naturalem conficiendam sese usum fatetur & quidem Lib. XX, XXI, XXII. &c. Alius est, (quod pace *Harduini* & aliorum dixerim) & multo antiquior *Castor*, cujus meminit *Varro* Lib. 3. de Gente Populi Romani apud *Augustinum* de Civitate Dei Lib. XXI. Cap. 8. *In cœlo mirabile extitit portentum: nam in Stella* Veneris nobilissima, *quam Plautus* Vesperuginem, *Homerus* Ἕσπερον *appellat, pulcherrimam dicens*, Castor *scribit tantum portentum extitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum: quod factum ita neque antea neque postea sit.* Adde hoc fragmentum iis, quæ de *Castore*

Rhodio

Rhodio erudite & diligenter collegit *G. Jo. Vossius* de Hist. Gr. Lib. I. Cap. ult. p. 158. seqv. Conf. *Scaligeri* Lect. Auson. Lib. I. Cap. 15. & Lib. II. Cap. 27. Notamus deniqve *Antonium* nostrum *Castorem* a Cl. *Jonsio* de Script. Hist. Phil. Lib. II. Cap. XV. p. m. 229. *Medicum* appellari, quo auctore, incertum; neque enim quod de herbis scripsit, Medicus magis dicendus videtur, quam *Cornelius Celsus*, qui de Medicina, quam nunquam professus est, Libros VIII. reliquit.

ANTONIUS GNIPHO, Grammaticus doctissimus, cujus scholam Cicero post laborem fori frequentasse dicitur, Volumen scripsit, quo disputat, quid sit *Festra* (ostium minusculum in sacrario. Confer *Festum* & *Plaut.* Cas. act. I. sc. I. v. 44) editis & in Virgilium lucubrationibus, quæ cum reliquis ejus operibus pridem perierunt. Vid. *Macrob.* Saturnal. Lib. 3. cap. 12. coll. cum *Lipsio* 2. Elect. cap. 15. pag. 53. & *Palmerio* Spicileg. pag. m. 814. Taceo duo Volumina de Latino sermone, quæ a *Gniphone* nostro relicta tradit auctor vitæ ejus *Svetonius* de Illustr. Gramm. Cap. 7. Adde *Quintilianum* Lib. I. Cap. 6. *Antonius Gnipho robur qvidem & ebur atque etiam marmur fatetur esse, verum fieri vult ex his robura, ebura, marmura.* Adde *Cornelium Frontonem* pag. m. 1331. SPECIES *divisio est generis:* SPECIALITAS *ficta est ab Antonio Gniphone Grammatico:* SPECIETAS *qualitatis.* Conf. *Theodori Canteri* Var. Lect. Lib. I. Cap. 23. p. m. 735. *Gniphonem*

nem noſtrum audivit *Attejus Philologus*, quod in epiſtola ad *Lucium Hermam* fatetur apud *Suetonium* de Ill. Gr. cap. 10.

ANTONIVS RVFVS Grammaticus, a *Quintiliano* citatur Lib. I. cap. 5. *Dixere quoque, quanquam id Antonius Rufus ex diverſo ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet.* Alius eſt *Antonius Rufus* poëta, qui Homerum & Pindarum Latine convertit, (de quo vid. *Lil. Gyrald.* Dial. IV. p. m. 509) adeoque merito addendus iis Homeri Interpretibus Latinis, de quibus meminit Celeb. *Fabricius* meus Bibl. Gr. Lib. II. cap. III. §. 18. pag. 297.

APPIUS aliquis (quod prænomen CLAVDIORVM apud Romanos eſt. Vide *Sigonium* de Nom. Rat. p. 1405. & 1416) ſub Trajano ſcripſit, ad quem *Plinius* Lib. IX. Epiſt. 35. *Librum quem miſiſti recepi, & gratias ago: ſum tamen hoc tempore occupatiſſimus. Ideo nondum eum legi, quum alioqui validiſſime cupiam: ſed eam reverentiam cum litteris ipſis tum ſcriptis tuis debeo, ut ſumere illa, niſi vacuo animo, irreligioſum putem.* conf. ſeqv. ibid. Ceterum quid ſcripſerit, haud temere dixerim.

APPIVS PVLCHER, nobilis Romanus, Ciceroni æqualis & valde familiaris, uti liquet ex hujus epiſtol. famil. Libro tertio, qui totus eſt ad *Appium Pulchrum*, Libros *de Augurali diſciplina* ſcripſit, quorum primum citat *Feſtus* in *Sollistimum*: SOLLISTIMUM *Appius Pulcher in Auguralis diſciplinæ libro primo ait eſſe tripudium, quod avi*

exci-

excidit ex eo quod illa fert. Conf. illud *Ciceronis* Lib. 3. ep. famil. 9. ad Appium p. m. 692. *Cum ipsam cognitionem juris augurii consequi cupio, tum me hercule tuis incredibiliter studiis erga me muneribusque delector;* adde Epist. 4. & 11. Conf. porro infr. P. III. in *Augurales Libri.* Præceptorem habuit *Attejum Philologum* teste *Svetonio* de Illustr. Gramm. cap. 10. Patrem *Appium Cæcum*, auctore eodem in vita Tiberii cap. 3. *Ex hac stirpe Tiberius Cæsar genus trahit, & quidem utrumque, paternum a Tiberio Nerone, maternum ab Appio Pulchro, qui ambo Appii Cæci filii fuerunt.* De aliis *Appiis Pulchris*, Viris Consularibus, vide *Eliæ Reusneri* Genealogicon Romanum pag. 16 - - de Coss. Romanorum familiis. NB. Cum de *Appio Cæco* meminimus, non prætermittendum putamus hujus fragmentum apud *Priscianum* Lib. 8. p. m. 286. *Amicum cum vides, obliviscere miserias, inimicus si es commentus, nec libens æquæ commentus cæco πεπλασμένος.* Qnod emendatius forte ita legeris: *Amicum cum vides, obliviscere miserias,* (nisi malis *injurias*) *inimicus si es commentus* (i. e. non ex animo, simulans inimicitiam) *nec libens Cæco. Commentus Cæco,* (quæ interpretatio Prisciani est) *πεπλασμένος.* Loqui autem videtur Auctor de se ipso.

A QVILA aliquis libertus Mecænatis, qui *Notas* Romanæ scripturæ auxit, ab *Isidoro* citatur Lib. I. Cap. 21. *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentatus* (lego *commentus*) *est notas, sed tantum præpositionum. Post eum Tertius Persannius,*

Philargius & Aquila libertus Mecænatis alius alias addiderunt. Unde eſt, quod *Dio* Lib. 55. Mecænatem γράμματα πρὸς τάχος primum inveniſſe refert. Conf. *Fabricii* mei Bibl. Lat. p. m. 363. Alius eſt *Julius Aquila*, Hetruſcæ diſciplinæ Scriptor, de quo infra; alius porro *Aquila* philoſophus & reliqui apud *Suidam* pag. m. 48.

ARELLIVS FVSCVS, præceptor *Fabiani* philoſophi (de quo infr.) Varias *Orationes*, *Declamationes* & *controverſias* ſcripſit, laudatus ſæpiſſime a *Seneca* Rhetore in Svaſoriis, in Controverſiis præcipue Lib. II. Cap. 8, 9, 10, 11, 14. & Lib. III. C. 16, 17, 18. ſeqv. Alius eſt, credo, *Arellius Fuſcus*, eques Romanus, de quo *Plinius* Lib. XXXIII. Hiſtor. Nat. cap. 12. *Vidimus & ipſi Arellium Fuſcum motum equeſtri ordine ob inſignem calumniam, cum celebritate aſſectarentur adoleſcentium ſcholæ, ex argento annulos habentem. Horatius* 2. Serm. 6. v. 78, *Arellium* aliquem avarum perſtringit.

nam ſi quis laudat Arelli
ſollicitas ignarus opes, ſic incipit: - - -

quem *Fuſcum* noſtrum intelligit *Torrentius* in Notis, ego vero *Arellium* illum, de quo *Plinius* Lib 35. Cap. 10. *Fuit & Arellius Romæ celeber, paulo ante Divum Auguſtum, niſi flagitio inſigni corrupiſſet artem (*pictoriam*) ſemper alicujus fœminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens, ſed dilectarum imagine.* Taceo *Arellium Fuſcum*, de quo *Trebell ius Pollio* in Triginta Tyrannis Cap. XX. meminit & *Vopiſcus* in Aureliano c. 40. Nam

Nam hunc νεωτερικώτερον esse nemo non facile ex historia temporum animadvertit.

ARRIVS ANTONINVS, avus maternus Antonini Pii, Consul, Proconsul Asiæ, suavissimus Poëta fuit temporibus Trajani, ad quem *Plinius* Lib. IV. epist. 3. *Loquenti tibi illa Homerici senis mella profluere, & quæ scribis, complere apes floribus & nectare videntur. Ita certe sum adfectus ipse, quum Græca epigrammata tua, quum jambos proxime legerem - -. Callimachum me vel Herodem, vel si quid his melius tenere credebam - - . Hominemne Romanum tam Græce loqui? non, medius fidius, ipsas Athenas tam Atticas dixerim.* Item epist. 18. *Quemadmodum magis approbare tibi possum, quantopere mirer epigrammata tua Græca, quam quod quædam æmulari Latine & exprimere tentavi?* - . Conf. Lib. V. epist. 10. item Lib. IV. ep. 27. in qua auctor *gravissimum senem* nostrum vocat, nec non ex recentioribus Scriptoribus *Casaubonum* in Capitolini Pium cap. 1. &*Reinesii Varias Lectiones* pag. 277.

ARTORIVS, Grammaticus doctissimus, antiquorum verborum significationes reliquit apud *Festum*, in PROCESTRIA: *Artorius procestria dixit, quæ sunt ante castra*; in TENTIPELLIUM: *Tentipellium Artorius putat esse calceamentum ferratum quo pelles extenduntur.* Item TOPPER: *Topper significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter.* Idem, credo, est *Artorius* noster, quem *C. Artorium Proculum* vocat *Quintilianus* Lib.

IX. Cap. 1. alius vero *Artorius*, Medicus Augusti, cujus celebre est somnium apud *Valerium Maximum* I. 7. 1. & 2. *Lactantium* II. 7. 22. *Appianum* Civil. 4. Sveton. Cap. 91. *Vellejum*, *Florum*, *Dionem*, alios.

ASELLIVS SABINUS, sub Augusto & Tiberio vixit, a quo (Tiberio) HS. *ducenta accepit pro dialogo, in quo boleti & ficedulæ & Ostreæ & turdi certamen induxerat*, quæ verba sunt *Svetonii* in vita Tiberii Cap. 42. Hunc *Asellium* esse puto, de quo meminit Augustus in epistola ante paucos, quam obiret, menses ad Agrippinam neptem ita scripta: *Puerum Cajum XV. Kalend. Junii, si Di volent, ut ducerent Talarius & Asellius, heri cum his constitui* - - v. Sveton. in Caligula cap. 8. ex quo loco Grammaticum Asellium nostrum fuisse judico, quippe quorum munus erat comites principum & nobilium in itinere esse. Confer insuper *Senecam* Epist. 40.

C. ASINIUS GALLUS, filius Asinii Pollionis, qui consulari functus dignitate A. U. C. 746. (vide *Svetonium* in vita Horatii, & *Plinium* Lib. 33. Histor. Nat. Cap 10.) ad res novas conspiravit cum Statilio Corvino, (uti auctor est *Tranquillus* in vita Claudii cap. 13) postea adulterii cum Agrippina incusatus, egestate cibi periit (teste *Tacito* Annal. VI. 23. 1. & 25. 2. teste *Seneca* Epist 55. *Plinio* H. N. Lib. XIII. Cap. 15. & *Tertulliano* de Pallio pag. m. 138) LIBROS scripsit *de Comparatione Patris & Ciceronis*, uti auctor est *Plinius* Junior VII. 4, 4. (conf. *Gellium* Lib.

Lib. XVII. cap. I. & *Quintilianum* Lib. XII. Cap. I.) quos confutatos video a *Claudio* Cæſare, apud *Svetonium* in vita hujus cap. 41. *Ciceronis defenſionem, adverſus Aſinii Galli libros, ſatis eruditam compoſuit.* Supereſt & hujus Epigramma in M. Pomponium Marcellum apud *Svetonium* de Ill. Gramm. cap. 22.

Qui Caput ad lævam didicit, gloſſemata vobis
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis!

Refertur & Fragmentum aliquod *Aſinii* a *Priſciano* Lib. VIII. pag. m. 287. *Cujus experta* (παθητικῶς) *virtus bello Germaniæ traducta ad cuſtodiam Illyrici eſt;* (Virtutem intelligo *Tiberii*, qui totum Illyricum perdomuit & in ditionem redegit. v. *Sveton.* cap. 16.) ſed hoc *Pollionis* eſſe nullus dubito, cum quod hic ἁπλῶς ſæpe *Aſinius* vocatur, tum quod diſerte apud eundem ib. (pag. nimirum 286.) una cum cognomento *Pollionis* & hoc fragmento allegatur: *ſed cum ob ea, quæ ſperaveram dolebam, conſolabar* (paſſive) *ob ea, quæ timui.* Taceo de *Ælio* & *Cornelio* Gallis, quos cum *Aſinio* noſtro *Gallo* confundunt *Donatus* in vita Virgilii, & *Servius* Eclog. 10. erroris proinde admoniti a *Jo. Bertrando* & *Mollero* Homonymoſcop. Cap. IV. pag. 372.

ASMONIVS, obſcuri nominis & ſequioris ætatis Grammaticus fuit, ex quo ſequentia profert *Priſcianus* Lib. de Metris Comicis pag. m. 883. *Comici poëtæ laxius etiam in verſibus ſuis quam tragici ſpatium dederunt, & illa quoque loca, quæ proprie debebantur jambo, dactylicis oc-*

cupant pedibus, dum quotidianum sermonem imitari volunt, & a versificationis observatione spectatorem ad actum rei convertere, ut non fictis sed veris affectionibus inesse videantur, Vixit ASMONIUS noster tempore Constantini, ad quem *de Arte Grammatica* scripsit, teste cit. Auctore Lib. X. pag. m. 395. *Vetustissimi etiam* scisicidi (a *scindo*) *proferebant, quod solum quoque in usu esse putat Asmonius in arte, quam ad Constantinum Imperatorem scribit, sed errat, nam* &c.

ATTICUS (JULIUS) v. *Julius Atticus*.

ATTICUS TIRO, Delphidius, Rhetor & poëta carminum laude clarus fuit, ad quem *Ausonius* in Commemoratione Professorum Burdigal. VI.

Facunde docte lingua & ingenio celer,
Jocis amœne Delphidi,
Tu pæne ab ipsis orsus incunabulis
Dei poëta nobilis
Sertum coronæ præferens Olympiæ,
Puer celebrasti Jovem.
Mox inde cursim more torrentis freti
Epos ligasti metricum &c.

Conf. seqv. & *Scaligerum*, qui in Lectionibus Ausonianis Lib. I. Cap. X. p. m. 29. hunc versum

Puer celebrasti Jovem

ita exponit, ut sensus sit: *Vix dum pubes Capitolinam qvercum meruisti, hoc est, poëta coronatus fuisti:* quem rectius forte in hanc sententiam interpretatus fuisset: *Puer laudes Jovis cecinisti.*

conf.

conf. *Ovid.* Trist. Lib. II. v. 73. & mox præced. ibidem. Vixit *Atticus* noster temporibus Juliani, quod ex historia liquet, quam narrat *Ammianus* Lib. XVIII. (sub init.) pag. m. 446. *Numerium, Narbonensis paulo ante rectorem, accusatum ut furem, inusitato censorio rigore pro tribunali palam admissis volentibus audiebat: qui quum inficiatione defenderet objecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius Orator acerrimus vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus exclamavit:* Ecquis, florentissime Cæsar, nocens esse poterit usquam, si negare suffecerit? *Circa quem Julianus prudenter motus ex tempore,* Ecquis, *ait*, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? *Abundantiam* Delphidio nostro tribuit *Sidonius* Lib. V. Epist. X. Conf. ibidem Notas *Jo. Savari* p. m. 346.

ATTILIVS SERRANVS, v. *Serranus.*

AVFVSTIVS, Vetus Scriptor, Fragmenta duo reliquit, quorum alterum custodivit *Festus* in GENIUS: *Genius est Deorum filius & parens hominum, ex quo homines gignuntur, & propterea genius meus nominatur*; (confer notas *Lindenbrogii* ad Censorinum pag. 18. - 21.) alterum *Priscianus* Lib. VIII. pag. m. 286. *Omnia argumentata* (passive) *nomina*; ex quibus Grammaticus fuisse videtur.

AVLVS CÆCINA vel CECINNA, Cliens Serviliorum, equestris ordinis Vir, Ciceroni perfamiliaris (Vide Lib. VI. ad Familiares, Epist. 5. 6. 7, quæ Cæcinnæ est ad Ciceronem, 8. & Lib.

XIII. ep. 66.) Pompejanarum partium homo, adversus Cæsarem scripsit, qui (verbis utor *Svetonii* in vita Cæsaris cap. 75.) *Auli Cæcinæ criminosissimo libro & Pitholai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit.* Eloquentiam nostro tribuit *Seneca* Quæst. Nat. Lib. II. Cap 56. *Hoc apud Cæcinnam invenio, facundum virum, qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset*, pro quo *præcessisset* (forte non male) legit *Jac. Nicolaus Loensis* Miscellan. Epiphil. Lib. IX. Cap. XXI. p. m. 674. Confer *Quintilianum* Lib. IX. Cap. 3. p. m. 531. Scripsit porro *Hetrusca*, uti conjicio ex verbis laudati Senecæ lib. cit. cap. 39. princ. *Genera fulminum tria esse ait Cæcinna, Consiliarium, Autoritatis & quod status dicitur.* Et cap. 49. *Nunc nomina fulminum, quæ a Cæcinna ponuntur, perstringam &c.* Nimirum Hetruscam disciplinam edoctus erat a Patre Cæcina, teste *Cicerone : Si te ratio quædam Hetruscæ disciplinæ, quam a patre nobilissimo atque optimo Viro acceperas, non fefellit, nec nos quidem nostra divinatio fallet.* Cave vero *Aulum hunc Cæcinam* confundas cum isto *Suetonii* in Vespasiano filio cap. 6. *In his A. Cæcinam, consularem Virum, vocavit ad cœnam, ac vixdum triclinio egressum confodi jussit*; vel cum *A. Cæcina* Taciti, de quo hic sæpiuscule meminit, & *Vellejus Paterculus* II. 112. 4. Denique notandus hic videtur *Albertus Magnus*, qui in libro de animi immortalitate, *Cæcinam* Epicureis adscribit,

con-

confutatus proinde a *Gaſſendo* Lib. 2. de Vita Epicuri Cap. 6. pag. 51.

AVRELIVS OPILIVS, Epicurei cujusdam libertus (unde & in Catalogum Epicureorum refertur a *Fabricio* Bibl. Gr. Lib. III. cap. 33. pag 813) philoſophiam primo, deinde Rhetoricam, noviſſime Grammaticam docuit. Dimiſſa autem ſchola Rutilium Rufum damnatum in Aſiam ſecutus, ibidem Smyrnæ conſenuit, compoſuitque variæ eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius Corporis. De Libello, qui inſcribitur PINAX, vide *Svetonium* de Illuſtr. Gramm. cap. 6. cui & præcedentem hiſtoriæ Opilii noſtri partem debemus. Cæterum de hoc Grammatico etiam *Varro* meminit Lib. VI. de L. Lat. pag. m. 74. *Veſperugo, ſtella, quæ veſpere oritur, a quo Opilius etiam ſcribit Veſperum;* item p. 76. *Ceraſtibola, Opilius ſcribit, circum coxendices ſunt nobis;* nec non mox ibid. *Præfica, ut Aurelius ſcribit, mulier a luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret:* & pag. 78. *Conticinium puto a conticeſcendo dictum, ſive (ut Opilius ſcribit) ab eo, quod conticuerunt homines;* ut alia loca mittam. Scripſit Noſter *Libros Muſarum* (Conf. *Sveton.* l. cit. & *Voſſium* de Hiſtor. Græcis Lib. I. Cap. 3. p. 13.) quorum ex *primo* ſequentia tradit *Gellius* Lib. I. Cap. 25. INDUCIÆ *dicuntur, quum hoſtes inter ſeſe utrinque alter ad alterum impune & ſine pugna ineunt: inde ab eo nomen eſſe factum videtur, quaſi initus atque introitus.* Conf. Lib.

III.

III. cap. 3. ſub initium, de *Indicibus Aurelii* & aliorum, atque Notas ibid. Reliquit præterea librum de *Silveſtribus arboribus*, quem indicat *Macrobius* Saturnal. Lib. II. Cap. 14. & 15. ubi *Oppius* legitur ſed male, monente *Meurſio* in Notis, cui ſuffragatur *Voſſius* de Hiſt. Lat. Lib. I. Cap. 13. pag. 68. imo repugnante prorſus *Feſto* in FOMITES, qui ex eodem libro *de Silv. Arb.* nonnulla profert, & nomen OPILII incorruptum retinet, quem confer in NECESSARIUM, NUSCITIOSUS, SEDUM, SPIRILLUM, TAMNE, THOMICES, VALGI, VETERINA, BESTIA. Adde & Fragmentum, quod ex *Aurelio* hujusmodi refert *Priſcianus* Lib VIII. pag. m. 285. *Ab his Gallos adortos*, (παθητικῶς) *ex inſidiis plurimos necatos.*

B.

BÆBIVS MACER, Conſul deſignatus ſub Trajano (vid. *Plin. Jun.* IV. 9. 16. conf. ib. 12. 4.) Præfectus urbis ſub Hadriano (v. *Spartianum* in vita hujus cap. 5.) *Feſtalia Sacrorum* ſcripſit, quæ a *Fulgentio* citantur num. 6. expoſ. ſerm. Ant. *Bæbius Macer, qui feſtalia ſacrorum ſcripſit, ait Junoni eas, quæ geminos parerent, oves ſacrificare cum duobus agnis altrinſecus religatis, quas oves ambegnas* (ita legendum, conf. *Varro* de L. Lat. Lib. VI. c. 3. p. m. 50. & *Feſtus* in *Ambegni*, editio vero Hervagiana male *ambiguas* præfert.) *vocari, quaſi ex utraque parte agnos habentes*; adde ex Notis *Servii* ad Virgil. (Eclog. IX. v. 47.)

v. 47.) pag. m. 53. *Sane astrum Græce dixit* (Virgilius:) *nam stellam debuit dicere. Bæbius Macer circa horam octavam stellam amplissimam quasi lemniscatis coronam ortam dicit, quam quidam ad inlustrandam gloriam Cæsaris juvenis pertinere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit* --item (ad Libr. V. Æneid. v. 556) p. m. 399. *Bæbius Macer dicit a Cæsare Augusto pueris, qui luserunt Trojam, donatas esse galeas & bina hastilia* - - . Alius est *Bæbius Macer* Præfectus prætorii, de quo meminit *Vopiscus* in Aureliano Cap. 13. alius *Bæbius Macrinus*, de quo vide Partem II.

BALBVS (CORNELIVS) amicus Julii Cæsaris, historiam scripsit sive ephemeridem, de qua *Vossius* Lib. I. de Hist. Lat. Cap. 13. pag. 66. Neque vero historiam solum sed & *Libros* ἐξηγητικῶν reliquit, quorum octavum decimum citat *Macrobius* Saturn. Lib. 3. Cap. 6. p. m. 398. *Cornelius Balbus* ἐξηγητικῶν *libro octavo decimo ait apud aram maximam observatum, ne Lectisternium fiat*; adde ex Notis *Servii* ad *Virgil.* (Libr. IV. Æneid. v. 127.) pag. 330. *Cornelius Balbus Hymenæum ait Magnetis filium, musicæ artis peritum, pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi patris & Alteæ religiosis cantibus celebrat, exspirasse, propter quod vitalis honor nuptiis attributus est, ut celebratio nominis ejus nuptiarum jungendarum perpetuum numen esset.* Conf. Fragmentum (ad v. 10. Eclog. IX) ex *Oratione* Cornelii *in Alfenum.* De Consulatu *Balbi* nostri ejusque

jusque rebus gestis videri possunt *Svetonius* in Augusto Cap. 29. *Plinius* Lib. 5. H. N. cap. 5. & Lib. 7. cap. 43. nec non Lib. 36. cap. 7. *Vellejus Paterculus* II. 51. 3. *Gellius* Lib. XVII. Cap. 9. &c. Alius non est *Cornelius Balbus Theophanes* apud *Cæsarem* Lib. 3. de B. Civ. cap. 18. *Valerium Maximum* L. 8. c. 14. *Julium Capitolinum* in vita Balbini Cap. 7. *Plutarchum*, *Strabonem* &c. quod putat *Vossius* Lib. I. de Hist. Gr. Cap. 23. p. 147. seqv. Alius vero est *Cornelius Balbus*, ad quem Marci Antonini epistola exstat apud *Spartianum* in Pescennio Nigro Cap. 4. princ. Denique mirari subit memoriam horum *Corneliorum* prætermissam esse a *Petro Nannio Alemariano*, qui ad Cornelium Musinum Delphinum singularem de claris Corneliis Librum scripsit, teste *Fabricio* Bibl. Lat. Lib. I. Cap. 7. p. m. 75. De Q. *Lucilio Balbo* vide Partem II.

LVCILIVS BASSVS, *Ciceroni* commemoratur Lib. XII. ad Atticum Epist. 5. *Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium sua*; id est, Catone meo delector, sed fortasse sine causa, quando etiam Bassum Lucilium malum scriptorem, sua delectant, uti exponit *Paulus Manutius* pag. m. 278. edit. Venet. 1592. in fol. Alius est *Lucilius Bassus* sub Vespasiano, de quo v. *Tacitus* Hist. II. 100, 5. III. 12, 2. & 36, 2. item 40, 1. nec non IV. 3, 1.

BLANDVS. v. *Rubellius Blandus*.

BVTHVS sive BYTHVS Dyrrachinus, incertæ ætatis scriptor a *Plinio* Lib. I. in Indice

Lib.

Lib. 34. in Latinis auctoribus recensetur, quorum ex scriptis se profecisse fatetur. Adde ex Lib. XXVIII. Cap. 7. *Bythus Dyrrhachinus hebetata aspectu specula recipere nitorem tradit iisdem aversa rursus contuentibus, omnemque vim talem resolvi, si mullum piscem secum habeant*, quemadmodum legit *Sigismundus Gelenius* in Castigationibus suis Plinianis pag. m. 488. Peregrinum nomen esse *Buthi* nostri, nemo temere dubitaverit, qui legit *Zenobium* pag. 44. nec non *Hesychium* & *Svidam* in Βῦθος περιφοιτᾷ, p. m. 186. *Dyrrachinum* eum dictum esse a *Dyrrachio*, civitate Macedoniæ, (vide Lexicon Geographicum *Caroli Stephani* edit. noviss. Londin. 1686. in *Dyrrachium*) quilibet facile animadvertit. Qui quidem Græce an Latine scripserit auctor, haud satis constat, sed Latinis scriptoribus ideo a Plinio, credo, adnumeratur, quod vel Romæ scripserit, vel de rebus Romanorum.

C.

CÆCILIVS aliquis, qui *Medicus* vocatur, a *Plinio* Lib. I. inter eos recensetur, ex quorum scriptis nonnulla transtulit in Histor. Nat. Librum XXIX. Qui quidem quo tempore aut quid scripserit, haud temere dixerim, cum fortuna nihil præter nomen superesse voluerit. Certe inter *Cæcilios* veteres, quorum certa aliqua memoria exstat, *Medicum* neminem invenio. Dictus est autem, nisi fallor, Medicus, quod de re Medica scripsit, unde forte nomen traxerunt *Cerasa*

Cæci-

Cæciliana & *Lactuca Cæciliana* apud eundem *Plinium* Lib. XV. cap. 25. & Lib. XIX. Cap. 8. Detur venia conjecturæ.

A. CÆCINA. vid *Aulus* - - .

C. JVLIVS CÆSAR STRABO, Poëta & Orator eloquentissimus, cujus dicendi genus *Julius Cæsar* adolescens secutus videtur *Svetonio* in vita hujus Cap. 55. *Orationem* scripsit pro SARDIS, ex qua ad verbum nonnulla in DIVINATIONEM suam transtulit *Julius Cæsar*, auctore *Tranquillo* ibidem. Fertur & hujus *Oratio* contra SULPITIUM *Tribunum plebis* cujus Fragmentum aliquod custodivit *Priscianus* Lib. V. p. m. 140. & Lib. VI. p. 200. *Deinde propinquos nostros Messalas domo deflagrata penore volebamus privare.* Scripsit porro *Tragœdias* teste *Cicerone* in Bruto: *C. Cæsar L. F. & superioribus & æqualibus omnibus præstitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo svavitate conditior. Sunt ejus aliquot orationes, in qvibus sicut ex ejusdem Tragœdiis lenitas ejus sine nervis perspici potest.* Adde ex *Asconio Pediano* in Orat. Cic. pro M. Scauro pag. m. 175. *Julius Cæsar inter primos temporis sui oratores & tragicus poëta admodum habitus est. Hujus sunt enim tragœdiæ, quæ inscribuntur Julii.*

Harum, nisi fallor, una est *Adrastus*, cujus meminit *Festus* p. m. 383. PROPHETAS *in Adrasto Julius nominat antistites fanorum oraculorumque interpretes. Cum Capita viridi lauro velare imperant*

perant prophetæ ſancta ita caſte qui putant ſacra. Quos verſus ita reſtituit *Joſ. Scaliger* ad Feſtum:

Cum capita viridi lauro velare imperant.
Prophetæ, ſancta caſte qui purant loca.

Vide *Ideam* noſtram *Hiſtoriæ Litter. Rom.* pag. 238. & Not. ibidem. Taceo *Vell. Paterc.* II. 9, 2. & locum *Valerii Maximi* III. 7, 11. de *Cæſare* noſtro, *cui in collegium poetarum venienti Accius nunquam aſſurrexit, non majeſtatis immemor, ſed quod in comparatione communium ſtudiorum aliquanto ſuperiorem ſe eſſe conſideret.* Conf. *Molleri* Homonymoſcop. cap. IV. §. 30. pag. 379. ſeqv. Addo denique hunc *Strabonem* illis, quos recenſet Celeb. *Jo. Alb. Fabricius* Bibl. Græc. Lib. IV. cap. I. pag. 8. ut & *Cæcilium Strabonem* apud *Plinium* Lib. IV. Epiſt. 12. n. 4.)

L. CÆSAR. vid. infr. *Lucius Cæſar.*

CÆSELLIVS VINDEX Grammaticus, *Commentarios Antiquarum Lectionum* reliquerat, quorum unum alterumve fragmentum cuſtodivit *Gellius*, ut Lib. II. cap. 16. *Poſtuma proles non eum ſignificat, qui patre mortuo, ſed qvi poſtremo loco natus eſt, ſicuti Silvius, qui Ænea jam ſene, tardo ſeroque partu eſt editus.* Lib. III. cap. 16. „Cæſellius Vindex in Lectionibus ſuis „Antiquis, *Tria*, inquit, *nomina Parcarum ſunt*, „*Nona, Decuma Morta*; & verſum hunc Livii „antiquiſſimi ponit ex Ὀδυσσείᾳ:

„*Quando dies adveniet, quem præſata Morta* „*eſt?*

„Sed homo minime malus Cæſellius *Mortam*

 „qvaſi

„quasi nomen accepit, quum accipere quasi Mœ„ram deberet„. Lib. VII. cap. 2. *Turpe erratum offendimus in illis celebratissimis commentariis Lectionum antiquarum Cæsellii Vindicis &c.* Conf. Lib. IX. c. 14. Lib. XI. c. 15. Lib. XVIII. c. 11. Lib. XX. c. 2. Scripsit & Librum *Cæsellius* noster, quem *Stromateum* (forte a varietate argumentorum) inscripsit, ex quo *Priscianus* lib. VI. pag. 168. „Ostendit hoc etiam Ce„sellius Vindex in Stromateo his verbis: *Caly„psonem ita declinatum esse apud antiquos*„ porro pag. 180. *Jupiter Jupiteris & Jupitris, ut Cesellio Vindici placet, debuit declinari.* pag. 181. *Mulciber mulciberis & mulcibris, ut Cesellius in Stromateo docet.* Alius est *Cæcilius Vindex*, quem cum nostro confundi sæpissime, ostendit V. Cl. *Jo. Mollerus* cap. IV. Homonymosc. p. 361. seqv. ex *Lipsii* libr. 2. Var. Lect. c. 18.

M. CALIDIVS, Quinti filius (vide *Asconium* in Procem. Actionis in Verrem pag. 59) *Apollodori* (*Pergameni*, de quo *Quintilian.* lib. 3. cap. I. &c.) discipulus, ex ordine equestri Cæsarianas partes sequutus, (teste *Eusebio*) Orator insignis & subtilissimus, de quo *Cicero* in Libro de Claris Orat. c. 79. p. m. 276. *De M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis, potius inter multos prope singularis fuit, ita reconditas exquisitasque sententias mollis & pellucens oratio vestiebat - - -* ORATIONEM scripsit *pro domo Ciceronis*, teste *Quintiliano* Lib. X. cap. I. pag. m. 568.

568. qui lib. XII. cap. 10. *subtilitatem Callidii* prædicat. Adde Fragmentum ex *Festo*: SUFES *Consul lingua Pœnorum : Calidius : Senatus, inquit, censuit referentibus Sufetis.* Plura de *Calidio* nostro vide apud *Ciceronem* lib. cit. p. m. 277. *Valerium Max.* VIII. 10, 3. & *Quintilianum* lib. XI. cap. 3. p. m. 666. & 672. nec non *Vellejum Paterc.* II. 36, 2.

CALPHUS aliquis, poëta, a *Prisciano* citatur lib. V. pag. m. 139. „Calphus in Epithalamio:

Hesperium ante jubar quatiens --

Legerit fortasse aliquis *Calvus;* non repugno.

CALPURNIUS BASSUS (minime *Calphurnius*, quod plerique malunt; vide *Festum* in *Calpurnii*) a *Plinio* lib. I. Hist. Nat. in iis auctoribus laudatur, quorum opera & scriptis se adjutum fatetur in Indice Libri XVI. item XVII, XIIX, XIX, XXI. cetera nobis ignotissimus.

CALPURNIUS PISO, poëta eruditus & disertus temporibus Trajani, a *Plinio* commendatur Lib. V. Epist. 17. *Nuntio tibi, fuisse me hodie in auditorio Calpurnii Pisonis. Recitabat* ἐρωτοπαίγνιον, (opus de ludo amoris) *eruditam sane luculentamque materiam. Scripta elegis erat fluentibus, & teneris & enodibus, sublimibus etiam verbis, ut poposcit locus.* Conf. seqv. Hujus forte fabula *Phronesis* est, cujus fragmentum reliquit *Fulgentius* de Prisco Sermone, num. 27.

Ubi tu nasiternatus aquam petas.

Conf. Lexicon Cellarii, quod pro *Fulgentio* perperam allegat *Nonium.* Alius est & multo anti-

quior *Calpurnius Piso*, Conful cum M. Glabrion › A. IↃCLXXXVII. cujus memoriam ex *Cicerone* breviter attingit *Vossius* de Hift. Lat. Lib. I. cap. 6. pag. 26. Conf. *Valer. Max.* II. 7. 9. & IV. 3. 10.

CALVINVS. vid. *Domitius Calvinus.*

CAMPESTER aliquis (poëta, nifi fallor) a *Fulgentio* citatur de Allegoria Librorum Virg' lii pag. m. 2. *Non illa in tuis operibus quærimus, in quibus aut Pythagoras modulos, aut Heraclitus ignes, aut Plato ideas, - - aut ἐντελεχείας Aristoteles inverfat: nec illa, quæ aut Dardanus in Dinameris - - aut Campefter in Catabolicis infernalibusque cecinerunt.* Citatur & a *Servio* ad illud *Virgilii* lib. X. Æneid. v. 272 -

Non fecus ac liquida fi quando nocte Cometæ
Sanguinei lugubre rubent - -

Unde *de Cometis* fcripfiffe non nemini creditur.

CANNIVS aliquis a Fefto citatur una cum hoc Fragmento in VETERATORES: *Mulieri non aftutæ facile Veterator perfvafit.* Pro *Cannius* nonnulli legunt *Gannius* (quod inauditum nomen eft in Hiftoria Romana, *) alii *Sannius* (quod in eandem reprehenfionem incurrit) alii *Granius* (forte *Flaccus Licinianus*, de quo fuo loco) alii denique vel *Canius* (quod mendo nequaquam vacat, nifi *Canium* forte intellexeris, equitem Romanum, de quo *Cicero* lib. III. de Officiis pag. m. 141. *C. Canius eques Romanus homo nec infacetus, & fatis litteratus - .*) vel T. *Annius*, five C. *An-*

*Præterquam apud *Prifcianum* Lib. VI, pag. m. 186 qui tres verfus ex Poëta *Gannio* affert.

C. *Annius*, quod mihi probatur, ita ut C. *Annium* intelligas, ex quo *Varro* de L. Lat. lib. V. cap. 8. pag. m. 43. ſequentia profert: *ſenſumque ineſſe & motum in membreis cerno.*

CANVTIVS aliquis a *Priſciano* lib. VIII. pag. m. 285. cum hoc fragmento allegatur: *Turpe eſt propter venuſtatem veſtimentorum admirari* (paſſive, θαυμάζεσθαι) *& propter turpiſſime vitam actam contemni.* Oratorem ego puto, qui *Ciceroni* in Bruto *Publius Canutius* (ſive *Cannutius*, ut alii legunt. Vide *Budæi* Annotat. in Pandectas pag. m. 125. edit. Gryph. Lugd. 1551) vocatur, Auctori *Dialogi de Orat.* cap. 21. ſimpliciter *Canutius*, niſi malis forte *Cajum Canutium*, de quo *Svetonius* Cap. 4. de Clar. Rhet. *Epidius docuit inter ceteros Marcum Antonium & Auguſtum. Quibus quondam Cajus Canutius, objicientibus ſibi, quod in Republica adminiſtranda potiſſimum conſularis Iſaurici ſectam ſequeretur, Malle, reſpondit, Iſaurici eſſe diſcipulum, quam Epidii calumniatoris.* Conf. *Vell. Patercul.* II. 64, 4.

CASSIVS SEVERVS LONGVLANVS. vid. infr. *Longulanus.*

CASTRICIVS FIRMVS (ita conjunctim legendum omnino eſſe contra *Harduinum* & alios arbitror) a *Plinio* lib. I. in iis laudatur, quorum opera ſe librum XIX. Hiſtor. Nat. compoſuiſſe fatetur. Scripſit is ipſe *Cepurica*, (ſive de *Olcribus*) teſte eodem auctore ibidem, at quo tempore, incertum, niſi divinare liceat, eum eſſe, de quo *Svetonius* in vita Auguſti cap. 56. *Unum omnino*

mnino e reorum numero, ac ne eum quidem nisi precibus eripuit (Augustus) *exorato coram judicibus accusatore, Castricium, per quem de conjuratione Murenæ cognoverat.* Alius est *Castricius Firmus* apud *Porphyrium* in vita Plotini cap. VII. Καστρίκιος ὁ Φίρμος καλούμενος, ἀνδρῶν τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοκαλώτατος γεγονὼς, καὶ τόν τε Πλωτῖνον σεβόμενος, καὶ Ἀμελίῳ οἷα οἰκέτης ἀγαθὸς ἐν πᾶσιν ὑπηρετούμενος, καὶ Πορφυρίῳ ἐμοὶ, οἷα γνησίῳ ἀδελφῷ ἐν πᾶσι προσεσχηκὼς, id est, interprete *Marsilio Ficino: Castricius cognominatus Firmus, Vir profecto omnium ætatis nostræ bonarum artium studiosissimus, observatorque Plotini, & Amelii servilii etiam obsequio cultor, mihique Porphyrio cunctis in rebus non aliter quam legitimo fratri deditus.* Conf. Cap. II. & *Joh. Alb. Fabricii* Biblioth. Græc. Lib. IV. cap. XXVI. pag. 94, 95, 105. Vixit sub Valeriano, Galliano & postea. Conf. *Ammian. Marcellin.* lib. XIV. pag. m. 412. De *Tito Castricio* quem cum nostro *Simlerus* & alii confundunt, vide Partem II.

M. CATIVS, Insuber de grege Epicuri, *Philosophica* scripsit, teste *Quintiliano* lib. X. cap. 1. *Supersunt, qui de philosophia scripserunt --. In Epicureis levis quidem sed non injucundus tamen auctor est Catius.* Cujus sub persona *Horatius* Epicureorum præcepta ad artem culinariam spectantia salse irridet Lib. II. Sat. IV. quæ ita incipit:

Unde & quo Catius?

Conf. *Cicer.* Epist. ad Famil. XV. 16, & 19. & Notas Aldi *Manutii* ibidem pag. m. 587. 589. seqv.

M. CA-

M. CATO M. *Filius* M. *Nepos, vehemens Orator fuit, multasque orationes ad exemplum avi ſcriptas reliquit - &c.* Verba ſunt *Gellii* lib. XIII. cap. 19. (in vulgatis editionibus, 18.) ubi plura ſatis memorabilia de hoc Catone memoriæ produntur.

CATVLINVS, Grammaticus ſive Rhetor antiquus, a *Servio* laudatur ad illud Virgilii lib. X. Æneid. v. 18.

O pater o hominum -

Verba *Servii* ſunt pag. m. 594. *Et Titianus* (de quo v. infr.) *& Catulinus, qui themata omnia de Virgilio elicuerunt & conformarunt ad dicendi uſum - - .* Alii *Calvus legunt ; qua auctoritate, neſcio.*

A. CECINNA v. *Aulus.*

CESENNIVS, qui *Cepurica* ſcripſit, a *Plinio* laudatur lib. 1. Hiſt. Nat. in iis, quos auctores habuit libri XIX. Nomen de reliquo obſcurum.

CIMBER ANNIVS. v. *Annius Cimber.*

CIRINIVS, inſignis poëta ſub Domitiano, *Epigrammata* ſcripſit, ad quem *Martialis* lib. VIII. Epigr. XVIII.

Sic tua, Cirini, promas Epigrammata vulgo,
Ut mecum poſſis vel prior ipſe legi.

Conf. ſequentia.

CLANARIVS aliquis a *Servio* laudatur ad illud *Virgilii* lib. XI. Æneid. v. 316.

Eſt antiquus ager, Tuſco mihi proximus amni ;

Grammaticus, nisi fallor, qui Virgilium illustravit, uti conjicio ex verbis laudati Servii pag. 659. *Hoc loco Donatus erravit dicens agrûm, quem Latinus donare se disponit, esse in Campania juxta Ufentem fluvium (quod etiam Clanarius ait) cujus terras vicinas Tusci aliquando tenuerunt* - - , nisi forte pro *Clanarius* legere malueris *Claranus* (de quo Grammatico vide infr. Partem II) quo modo legendum esse certissime mihi persuadeo.

CLAVDIVS SATVRNINVS Librum *de Coronis* ediderat, cujus meminit *Tertullianus* de Corona pag. m. 124. *Plura quærentibus omnia exhibebit præstantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus. Nam est illius de Coronis liber, & origines & causas & species & solemnitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicujus capiti invenias consecratum.* Alius est apud eundem *Sentius Saturninus* lib. IV. adv. Marcionem pag. 532. (Conf. *Vell. Paterc.* II. 2. 3) alius *Saturninus*, Menandri Simoniani discipulus, p. m. 249. & 325. item *Vigellius Saturninus*, qui odium in Christianos amissiône oculorum luit, p. 680. ut alios bene multos *Saturninos* taceam, *Aponium*, *Antonium*, *Apulejum*, *Lusium*, *Vitellium*, *Iunium*, *Pompejum* &c. in historia Romana non incelebres. Conf. *Sidon. Apoll.* Carm. XXI. in Epistola ad Leontium pag. m. 167. & ex recentioribus *Jo. Mollerus* Cap. IV. Homonymoscop. §. 58. pag. 404.

CLE-

CLEMENS JVSTVS. vid. Partem II.

CLOATIVS VERVS, Vetus Grammaticus, libros ſcripſit *Verborum a Græcis tractorum, in quibus non pauca dixit curioſe & ſagaciter conquiſita, neque non tamen quædam futilia & frivola*, judice *Gellio* lib. XVI. cap. 12. Conf. ſeqv. ex *Libro quarto* ibidem. Adde ex *Macrobio* Lib. II. cap. 14. Saturnal. „*Cloatius Verus in libro a Græcis* „*tractorum ita memorat:* Juglans, di prætermiſ- „ſum eſt, quaſi dijuglans, id eſt, διὸς βάλανος„ & poſtea ibidem: „ *Nux Græca hæc eſt, quæ &* „*amygdale dicitur. Sed & Thaſia eadem nux vo-* „*catur; teſtis eſt Cloatius in Ordinatorum Græcorum* (ſive *Originationum Græcarum*, uti legendum „videtur *Scriverio*) libro 4. *cum ſic ait:* NUX „GRÆCA AMYGDALE„ porro ex Capite XV. ibidem. „*Malorum genera Cloatius in Ordinato-* „*rum Græcorum libro quarto ita diligenter enu-* „*merat:* Sunt autem genera malorum, Ameri- „num, Cotonium, Citreum - - Perſicum - &c. *Vi-* „*des Perſicum a Cloatio inter mala numeratum* - . „*Quod autem ait idem Cloatius*, Citreum, *& i-* „*pſum Perſicum malum eſt ſecundum Virgilium &c.* „& paucis interjectis: *Cloatius pirorum vocabula* „*ſic deſcribit:* Anicianum, Cucurbitivum, cirri- „tum, cerviſca - - &c.„ item capite XVI. „*Ad-* „*monent nos & fici aridæ, ut enumeremus genera* „*ficorum, eodem Cloatio nos de his, ut de aliis,* „*inſtruente: ſic enim diverſas ficos diligentiæ ſuæ* „*more dinumerat:* Africa, albula, harundinea, „aſinaſtra, atra - &c.„ nec non denique ex libr. III.

cap. VI. „*Conſtat, ſicut Cloatius Verus Ordina* „*torum libro ſecundo docet, eſſe Deli aram, apud* „*quam hoſtia non caeditur, ſed tantum ſolenni de-* „*um prece venerantur. Verba Cloatii hæc ſunt:* „Deli Ara eſt Apollinis Γενήτορος, in qua nullum „animal ſacrificatur, quam Pythagoram velut in- „violatam adoraviſſe produnt„ Scripſit & *Cloatius* noſter *Libros Sacrorum*, ex quibus loca nonnulla ſervavit *Feſtus* in *Molucrum*, *Obſtitum*, *Oſcum*, *Piacularis & Subucula.*

CONSENTIVS, poëta Narbonenſis, æqualis *Sidonio*, qui Carm. XXIII. venam Noſtri ita prædicat:

Miſiſti mihi multiplex poema,
Doctum, nobile, forte, delicatum &c

item lib. VIII. Epiſt. 4. *Citos jambos, elegos acutos ac rotundos hendecaſyllabos & cætera carmina, muſicos flores thimumque redolentia - - ambigendum celerius an pulchrius elucubraſti, apud æquævos gratiam tuam, famam apud poſteros ampliaturus &c.* conf. lib. IX. epiſt. 15. Alius eſt *Conſentius* Grammaticus, cujus, *Ars de duabus orationis partibus, Nomine & Verbo* circumfertur.

CORNELIVS BALBUS. v. *Balbus.*

CORNELIVS FRONTO. *v. Fronto.*

CORNELIVS LABEO, pater forte *Labeonis Antiſtii*, JCti, qui temporibus Auguſti floruit, (de quo vide *Menagium* in Amœnit. J. Civ. c. 20. *Mollerum* Homonymoſcop. pag. 381. alios) *Hiſtoriam* (maxime *ſacram*) ſcripſiſſe videtur ex verbis *Macrobii* lib. I. Saturnal. cap. XII. *Affirmant*

mant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Majam, cui mense Majo res divina celebratur, terram esse - - & seqv. ibid. *Auctor est Cornelius Labeo, huic Majæ ædem Kalendis Majis dedicatam sub nomine Bonæ deæ* - . item cap. XVI. *Cornelius Labeo primo fastorum libro nundinis ferias esse pronuntiat.* Conf. libr. III. cap. X. ubi liber sexagesimus octavus citatur. Quo accedit *Liber* Labeonis nostri alius, cui titulus est (verba sunt Macrobii lib. cit. cap. XVIII.) *De oraculo Apollinis Clarii*, in quo vim numinis nominisque interpretationem, qua Liber pater & Sol *ἰάω* significatur, exsecutus traditur. Taceo librum nescio an libros *de diis Penatibus* apud eundem lib. III. cap. IV. *Cornelius quoque Labeo de diis Penatibus eadem existimat; hanc opinionem sequitur Maro, cum dicit,*

Sic fatus meritos aris mactabat honores:
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

CORNIFICIVS aliquis, Grammaticus, credo, a *Festo* citatur in NVPTIAS: *Nuptias dictas esse ait Cornificius, quod nova petantur conjugia;* item in *Nare: Nare a nave ductum Cornificius ait, quod aqua feratur natans ut navis;* sc. in *Libris Etymorum*, quos allegat *Macrobius* Saturnal. lib. I. cap. 9. *Cornificius Etymorum libro tertio,* CICERO, *inquit*, NON IANVM SED EANVM NOMINAT AB EVNDO. (Unde manifestum satis esse videtur, Cornificium nostrum post Ciceronis ætatem vixisse, adeoque alium esse L. *Cornificium* patrem, ad quem exstant Ciceronis Epistolæ lib. I. Fam.

I. Fam. Epp.) item cap. 17. *Cornificius arbitratur Apollinem nominatum ἀπὸ τȣ̃ ἀναπολεῖν - .* & postea ibid. *Φοῖβος appellatur , ut ait Cornificius ἀπὸ τȣ̃ φοιτᾷν βίᾳ, quod vi fertur*; item, *hanc opinionem Cornificius in etymis retulit*; nec non cap. 23. *Jovis appellatione solem intelligi Cornificius scribit, cui unda Oceani velut dapes ministrat.* Scripsit & Libros *de cœnis Deorum*, quorum *primum* citat *Priscianus* lib. VI. pag. m. 198. cum hoc fragmento: *Ipsis vero ad Cereris memoriæ renovandæ gratiam lectus* (pro *lecti*, conf. præced. ib.) *sternuntur.* Conf. insuper *Festus* in *Minerva, Oscillum*, & *Rediculi* & *Talia*; nec non *Donatus* in vita Virgilii, & *Philargyrius* ad Eclog. III. v. 105. item *Servius*, qui *Cornificium* nostrum *Longum* vocat in Notis ad libr. III. Æneid. v. 332. pag. m. 292. & lib. X. v. 245. pag. 608. Alius est, nisi fallor, L. *Cornificius* filius, quem de arte rhetorica scripsisse tradit *Quintilianus* lib. III, cap. 1. sub finem, (conf. lib. IX. cap. 2. p. m. 500. & cap. 3. pag. 533.) alius *Cornificius* poëta apud *Ovidium* Trist. lib. II. v. 436. & *Macrobium* lib. VI. Saturn. cap. 5. qui hoc ei fragmentum tribuit:

Centauros fœdare bimembres
Caprigenumque pecus nullo custode per herbas.

CORVINUS aliquis a *Festo* laudatur in TABES, una cum hoc fragmento *Orationis pro Liburnia: Propter hanc tabem atque perniciem domus totius. M. Valerium Corvinum Messalam* intelligi suspicor, cujus vitam & scripta exposuit celeb.

celeb. *Vossius* de Hist. Lat. lib. I. cap. XVIII. pag. 89. Neque enim *Corvini* alii Oratores in Historia Romana mihi hactenus innotuerunt.

L. COTTA, laudatur Suetonio de Illustr. Gramm. cap. I. *Nam quod nonnulli tradunt, duos libros* DE LITTERIS SYLLABISque *item* DE METRIS *ab eodem Ennio editos, jure arguit Lucius Cotta, non poetæ sed posterioris Ennii esse, cujus etiam de* AVGVRANDI DISCIPLINA *volumina feruntur.* (*Ennii* sc. illius, qui vulgares notas primus mille & centum invenit, de quo v. *Isidor.* lib. I. Orig. cap. 21.) Idemne sit *Lucius* noster *Cotta*, quem *Quindecimvirum* Tranquillus vocat in vita Cæsaris cap. 79. & cujus sententiam refert *Cicero* lib. II. de Divinatione, haud temere dixerim, sane haud multum dubito. Conf. *Jul. Cæsar* de B. Gallico lib. 2. cap. 3. lib. 4. cap. 5. lib. 5. cap. 4. item *Lucan.* lib. I. v. 428. de L. *Aurunculeio Cotta*, qui primus ex plebeja Aurunculorum gente ad Remp. accessit, prætorque Sardiniam rexit, postea cum quinque cohortibus in hibernis fraude Ambiorigis cæsus. Hic vero alius omnino esse videtur, & forte is, qui librum *de Rep. Romana* conscripsit, teste *Athenæo*. Conf. *Caroli Stephani* Lexicon Historico-Poëticum in *Cotta*, & *Mallincrotti* Paralipom. de Hist. Græcis p. m. 31. seqv. edit. Fabric.

COTTA MESSALINVS, Messalæ Oratoris filius, illustris sub Tiberio Scriptor (cujus meminit *Tacitus* Annal. II, 32, 2. IV. 20, 5. V. 3, 5. VI. 5, 1. XII. 22, 2.) a *Plinio* lib. I. H. N. in iis lau-

laudatur, ex quorum scriptis nonnulla transtulit in librum suum XIV. & XV. Adde elogium *Cottæ* nostri *Messalini* ex *Vellejo Paterculo* II. 112. 1. seqv. *Felix eventu, forte conatu, prima æstate belli, Messalini opus mandandum est memoriæ. Qui Vir animo etiam quam gente nobilior, dignissimusque qui & patrem Corvinum habuisset & cognomen suum Cottæ fratri relinqueret - &c.*

L. CRASSITIVS. v. *Lucius.*

CRISPINVS aliquis a *Fulgentio* num. 28 de Prisco Sermone p. m. 564. cum hoc fragmento allegatur in verbo ANTISTARE: *Divinis virtutibus antistans Alcides.* Intellige Poëtam *Crispinum Lippum,* de quo *Acro* ad *Horatii* lib. I. Sat. I. v. 120. seqv. *Hic Crispinus Poeta fuit, qui sectam Stoicam versibus scripsit;* item ad Sat. 4. v. 14. *Hic similiter ut Lucilius multos sed malos versus faciebat.* Alius est *Crispinus* Alexandrinus, de quo vid. Vetus Scholiastes ad *Juvenalis* Satiram IV. v. 24.

CRISPVS PASSIENVS, Stoicus (vide *Fabricii* Bibl. Gr. lib. III. c. 15. p. 402) Orator celeberrimus, Vitricus Neronis, de quo *Plinius* lib. XVI. Hist. Nat. cap. 44. *In hoc arborem eximiam ætate nostra adamavit Passienus Crispus, bis Consul, Orator, Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior postea -.* conf. *Tacit.* Annal. VI. 20, 2. & *Sveton.* in Nerone cap. 6. Ex hoc *Passieno* sequentia refert *Seneca* lib. I. de Benef. cap. 15. *Crispus Passienus solebat dicere, quorundam se judicium malle quam beneficium, quorundam*

dam beneficium malle quam judicium; & Quæst. Nat. lib. IV. Præfat. *Crispus Passienus, quo ego nihil cognovi subtilius in omnibus rebus, maxime in distinguendis & curandis vitiis, sæpe dicebat, adulationi nos opponere, non claudere ostium.* Adde *Quintiliani* locum lib. VI. cap. 1. *Sunt & illi leniores epilogi, quibus adversario satisfecimus, si forte sit ejus persona talis, ut illi debeatur reverentia, aut quum amice aliquid commonemus & ad concordiam hortamur: quod est genus egregie tractatum a Passieno, cum Domitiæ uxoris suæ pecuniariam litem adversus fratrem ejus Ænobarbum ageret;* & Lib. X. cap. I. *Nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælii orationes ferebantur.* Conf. *Senec.* Controv. lib. II. c. 13. & Excerpt. Controv. lib. III. Præf. Alius est & forte nostri filius *Crispus Passienus*, itidem orator sub Trajano, quem ita loquentem inducit *Plinius* Junior lib. VII. Epist. 6. n. 11. *Bene, me hercule, bene.*

CVRIATIVS aliquis, forte Grammaticus a *Festo* allegatur in NACCAE: *Naccæ*, sive (*Nactæ*, ut nonnulli scribunt, alii *Nattæ) appellantur vulgo fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non sint, id est, nullius pretii.* Item in NVPTIAE: *Nuptias dictas esse ait Curiatius, quod nova ratio fiat;* & TVRMA: *Turmam equitum dictam esse ait Curiatius quasi terimam, quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium Ramnium, Lucerum fiebant.* Confer *Varronem* lib. IV de L. lat. cap. 16. cujus verba *Festus* h. l. repetit. Alius est, credo, *Curiatius Maternus* apud

apud auctorem Dialogi de Orat. cap. 2. princ. & postea passim, Poëta nempe, de quo *Vossius* de Poëtis Latinis pag. 48. alius *Curiatius*, de quo *Martialis* lib. IV. Epigr. 60.

Ardea Solistitio, Pæstanaque rura petantur,
Quique Cleonæo sedere fervet ager:
Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.

CVRTIVS NICIA vid. NICIA.

D.

DARDANVS aliquis a *Prisciano* citatur *de Ponderibus & Mensuris* pag. m. 850. *Obolus dicitur, ut Dardanus docet, scrupulus esse, id est sex siliquæ* - &c. item pag. 852. *Sciendum quod secundum Livii computationem centum minæ Atticæ, quarum singulæ 75. drachmas habent, faciunt talentum magnum: nam minus habet 60 secundum Dardanum.* Meminit ejusdem Scriptoris (poëtæ, nisi fallor) *Fulgentius* de Allegoria Librorum Virgilii ad Calcidium Grammaticum p. m. 2. *Non illa in tuis operibus quærimus, in quibus aut Pythagoras modulos, aut Heraclitus ignes, aut Plato ideas - aut ἐντελεχείας Aristoteles inversat: nec illa, quæ aut Dardanus in Dinameris, aut Battiades in Paredris, aut Campester in Catabolicis infernalibusque cecinerunt* - . Obscurum nomen, de quo quid amplius disseram, me nescire fateor, postquam tacet *Rhemmius Fannius*, tacet *Isidorus* Lib. XVI. Orig. cap. 24. seqv. de Ponderibus & Mensurius, tacent cuncti alii Scripto-

ptores. De aliis *Dardanis* vide *Jo. Savari* Notas ad Sidonium Lib. V. Epist. IX. pag. m. 342.

DECIMVS LÆLIVS, Orator præstantissimus, *Orationes* reliquerat, quas *insignes* prædicat *Quintilianus* Lib. X. cap. 1. *Nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælii Orationes ferebantur.* Vixit sub Vespasianis, uti conjicio ex verbis *Plinii* in Præfat. Hist. Nat. *Hæc doctissimum Persium legere nolo, Lælium Decimum volo.* Ut proinde alius sit *Decimus Lælius*, qui temporibus Cæsaris Asiaticis navibus præerat, de quo vid. *Cæsar* de Bello Civili Lib. III. Cap. 1. 8. & 19.

DECIVS ECULEO, a *Plinio* Lib. I. inter eos auctores laudatur, quorum ex scriptis nonnulla se transtulisse fatetur in Hist. Nat. Lib. XXXV. En locum ibidem cap. 10. *Pinxit* (Parrhasius) *& Archigallum, quam picturam amavit Tiberius princeps, atque ut auctor est Decius Eculeo LX Sestertiis æstimatam, cubiculo suo inclusit.* Harduinus mavult *Decimus Aculeo.* Vide hujus Indicem Auctorum Plinii pag. 110.

DOMITIVS AFER, insignis Orator temporibus Augusti & Tiberii, accusator Claudiæ Pulchræ & Quintilii Vari, mortuus sub Imperatore Claudio (v. *Tacit.* Annal. IV, 52. 1. & 66. 2. XIV, 19. 1. nec non *Dialog. de Orat.* XIII, 4.) Varia ad Artem Oratoriam pertinentia scripsit, ut auctor est *Quintilianus* Lib. V. cap. 7. *Sufficiebant alioqui libri duo a Domitio Afro in hanc rem* (de *Testibus* sive *Testimoniis*) *compositi, quem a-*

D *do-*

dolescentulus senem colui : ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraque ex ipso sint cognita &c - cap. 10. *Efficiens idem Domitii Afri sententia est pulchra :* Ego accusavi, vos damnastis. Lib. VI. Cap. 3. *Id porro quod dicitur, aut est lascivum & hilare, qualia Galbæ pleraque - - aut lene, qualia Domitii Afri.* Ibid. pag. m. 354. *Mire fuit in hoc genere venustus Afer Domitius, cujus Orationibus complures hujusmodi narrationes insertæ reperiuntur. Sed dictorum quoque ab eodem urbane sunt editi libri.* Conf. pag. m. 356, 359, 361, 362. Adde ex libro VIII. Cap. 5. *Interim ad personam, quale est Afri Domitii :* PRINCEPS, QVI VVLT OMNIA SCIRE, NECESSE HABET MVLTA IGNOSCERE. Conf. p. m. 467. item Lib. IX. Cap. 2. 3. & 4. Lib. X. cap. 1. (v. supra *Decimus Lælius*) Lib. XI. Cap. 3. & Lib. XII. Cap. 11. item *Plin.* Lib. II. Epist. 14. n. 10. seqv. Meminerunt denique *Domitii* nostri *Dio* & *Eusebius*, quorum hic in cœna ex cibi redundantia eum sub Nerone mortuum refert.

CN. DOMITIVS CALVINVS, Cos. cum M. Valerio A. U. 700. & cum C. Asinio 713. sub Cæsare præfectus Asiæ finitimarumque provinciarum, cujus res gestæ hic illic legi possunt apud *Cæsarem* de B. Civ. Lib. 3. p. m. 579. 581. 615. nec non *Hirtium* de Bello Africano p. 673. 678. coll. cum *Svetonio* in vita Cæsaris c. 36. *Vellejo Paterculo* II. 78. 3. & *Frontino* Strategem. III. 2. 1. quid scripserit, me nescire fateor, cum solum nomen *Plinius* Lib. I. in Indice Lib. XI. & XVIII.

XVIII. tantum profitetur inter auctores eos, quorum opera se usum ingenue fatetur. Alius vero est *Cn. Domitius Calvinus*, CENS. cum Qv. Fabio A. U. 474, alius *Domitius* Calvinus A. 627. Cos. cum Cassio Longino, (de quo vid. *Eutrop.* IV. 10, 1.) & reliqui quorum memoriam persequitur *Elias Reusnerus* in Genealog. Rom. pag. 42. de Familiis Coss. Romanorum.

DOMITIVS PISO, incertæ ætatis scriptor, a *Plinio* citatur in Præfatione Histor. Nat. ad Vespasianum: *Quoniam, ut ait Domitius Piso, thesauros oportet esse non libros.* Taceo *Pisones* alios, de quibus vide *Vossium* de Histor. Lat. Lib. I. Cap. 7. p. 24. seqv.

DORCATIVS, poëta, cujus ætatis nescio, de *Sphærarum genere & pondere* scripsit, teste *Isidoro*, qui Lib. XVIII. Cap. 69. hos ex eo Versiculos profert:

Neu tu parce pilos vivaces vendere cervi,
Uncia donec erit geminam superaddita libram.

lego *Vivacis.*

E.

ELIS, Vetus Grammaticus, *Commentarium* reliquerat, ex quo *Gellius* Lib. XIII. Cap. 14. *De Aventino monte prætermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elidis Grammatici Veteris commentario offendi, in quo scriptum erat, Aventinum antea, sicuti diximus, extra pomœrium exclusum, post auctore D. Claudio receptum, & intra pomœrii fines observatum.*

EPICURIVS CÆLIVS, hiſtoricus antiquus, cujus ex *Libro primo Hiſtor.* hoc fragmentum affert *Priſcianus* Lib. 3. p. m. 82. *dextimos in dextris ſcuta jubet habere*: de reliquo ignotus, & *Voſſio* eo forte prætermiſſus, quod non diſtinguendum putavit a L. *Cælio Antipatro*, cujus vitam & ſcripta juſta diligentia proſecutus eſt Lib. I. de Hiſtoricis Latinis Cap. VIII. pag. 31. ſeqv.

F.

FABIANVS PAPYRIVS, Vir diſertus & diſciplinæ Stoicæ ſectator ſub Tiberio, præceptoribus uſus *Arellio Fuſco & Blando* rhetoribus, Libros *de animalibus* ſcripſit, quos allegat *Chariſius* & cum eo *Diomedes*; item *Civilium*, teſte *Seneca* Epiſt. 100. *Fabiani Papirii Libros, qui inſcribuntur* CIVILIVM, *legiſſe te cupidiſſime ſcribis.* Videtur & de *Rebus* ſive *Cauſis Rerum Naturalium* diſſeruiſſe, ex verbis *Plinii* Lib. 18. Cap. 28. *Cauſa evidens*, (ſc. quod luna in plenilunio æſtate gelidas facit noctes, hieme tepidas) *ſed alia redditur a Fabiano Græcisque auctoribus*; & Lib. 28. Cap. 4. *Ariſtoteles & Fabianus plurimum ſomniari circa vernum & autumnum tradunt, magisque ſupino cubito, ac* (lego *at*) *prono nihil*; item Lib. 15. Cap. 1. *Fabianus negat provenire in frigidiſſimis oleam neque in calidiſſimis*; necnon Lib. 36. cap. 15. extr. *Inter plurima alia Italiæ miracula, ipſa marmorea in lapicidinis creſcere auctor eſt Papyrius Fabianus, naturæ rerum peritiſſimus.* Conf. Lib. I. in Ind. Lib. 2, 9, 11, 13, 14, 15, 17, 18, 23,

23, 24, 28, 36. Creberrima porro *Papyrii* noſtri mentio ſive laudatio exſtat apud *Senecam*, ut, de Brevitate Vitæ Cap. 14. *Dubitare ſe interim Fabianus noſter ajebat, an ſatius eſſet, nullis ſtudiis admoveri, quam his implicari.* Epiſt. 40. *Fabianus Vir egregius & vita & ſcientia, & quod poſt iſta eſt, eloquentia quoque, diſputabat expedite magis, quam concitate, ut poſſes dicere, facilitatem eſſe illam, non celeritatem.* Epiſt. 52. *Differebat populo Fabianus, ſed audiebatur modeſte.* Epiſt. 58. *Ciceronem auctorem hujus verbi habeo, puto locupletem. Si recentiorem quæris, Fabianum, diſertum & elegantem, orationis etiam ad noſtrum faſtidium nitidæ.* Plura de *Fabiano* noſtro legi posſunt in Epiſtola, ſuperius citata C. ubi de ſcriptis ejus copioſius diſſeritur, nec non in Libro tertio Quæſt. Nat. cap. 27. & Controverſiis paſſim.

FABIVS VESTALIS, cujus meminit ſæpiuſcule *Plinius* in Hiſtoria Naturali, *de pictura* ſcripſit. Vide Lib. I. in Indice Lib. 33. 34. 35. 36. ubi inter ceteros auctores laudatur, quibus ſe uſum Plinius fatetur. Memoriam hujus Scriptoris, prætermiſit *Leo Baptiſta de Albertis*, quem vide Lib. II. *de Pictura* pag. m. 14. edit. Vitruv. 1649. in folio.

FAVONIVS aliquis (forte M. *Favonius*, philoſophus Cynicus, Catonis æmulus, de quo meminit *Plutarchus* T. I. pag. 989, 999.) a *Plinio* laudatur Lib. I. in Indice Libri II. Hiſt. Nat. cujus ingenii monumenta jam pridem perierunt, adeoque prorſus ignorantur. Conf. *Valer. Max.* p. m. 232. edit. Thyſ. Alius eſt *Favonius*, quem memorat Celeb.

meus *Fabricius* Lib. III. Bibl. Gr. cap. 11. in Catalogo Scriptorum, qui a Boëthio allegantur, pag. 287.

FAVORINVS, Orator Romanus, cujus ætatis nescio, a *Gellio* citatur Lib. XV. Cap. 8. in lemmate: *Locus ex oratione Favorini Veteris Oratoris de cœnarum atque luxuriæ opprobratione, qua usus est, quum legem Liciniam de sumtu minuendo suasit*; & mox in principio ipsius Capitis: *Quum legeremus orationem veterem Favorini non indiserti Viri, quam orationem totam, ut meminisse possemus, odio hercle istiusmodi sumtus atque victus, perdidicimus. Verba hæc, quæ apposuimus, Favorini sunt*: -- conf. seq. De hoc *Favorino* varie ambigunt eruditi, pro quo *Fannii* nomen reponit Pithœus, alius *Favonii*, Gronovius P. *Augurini*. Ego præter necessitatem a Codicibus MStis minime recedendum esse arbitror, retinendum vero nomen *Favorini*, quod post nostrum usurparunt *Favorinus* Peripateticus apud *Plutarchum* Sympos. VII. 10. & *Favorinus* Platonicus (apud *Suidam*, *Gellium* aliosque) cujus monumenta recenset Cl. *Fabricius* Bibl. Gr. L. III. c. 5. p. 59. 60.

FAVSTINVS, poëta peregregius temporibus Domitiani, quem ut *libellos* suos edat, enixe rogat *Martialis* Lib. I. Epigr. 26.

Ede tuos tandem populo, Faustine libellos,
Et cultum docto pectore profer opus.
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri prætereantque senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?

Post

Post te victuræ, per te quoque vivere chartæ
Incipiant, cineri gloria sera venit.

Confer. ibid. Epigr. 115. ad eundem, item Lib. III. Epigr. 25. L. IV. Epigr. 10. & 57. L. V. Epigr. 37. & 72. L. VI. Epigr. 60. v. 1. L. VII. Epigr. 11. & 79. L. VIII. Epigr. 41. & L. X. Epigr. 51.
Idem forte est *Perellius Faustinus* Scriptor, de quo *Donatus* in vita Virgilii pag. m. 4. *Est adversus Æneida Liber Carbilii Pictoris, titulo Æneido-mastix - - Herennius tantum vitia ejus, Perellius Faustinus furta contraxit.*

FIRMIANVS aliquis a *Rufino* de Metris Comicis citatur pag. m. 899. *Firmianus ad Probum* „*de Metris Comœdiarum sic dicit:* Nam quod de Metris Comœdiarum requisisti, & ego scio plurimos „existimare, Terentianas vel maxime fabulas metrum non habere Comœdiæ Græcæ, id est, Menan„dri Philemonis Diphili, qui trimetris versibus constant - - &c. & pag. 900. *Mensuram esse in fabulis, hoc est μέτρον, Terentii & Plauti ac ceterorum Comicorum & Tragicorum, dicant hi, Cicero, Scaurus, Firmianus*, Varro &c. Quæ equidem loca ad *Lactantium Firmianum* referre nullus dubito, quippe qui teste *Hieronymo* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 80. p. m. 166. quatuor Epistolarum Libros *ad Probum* scripsit. Et retulerunt forte alii, sed in Editionibus Lactantii, quas videre mihi contigit, Veterumque de Lactantio testimoniis, quæ præmitti plerumque solent, nihil tale animadverti.

FIRMVS. Vid. *Castricius Firmus*

FLAVIVS PROCVLVS a *Plinio* Lib. I. in Indice Lib. 12. inter reliquos auctores recensetur, quorum ex monumentis se profecisse fatetur. Conf. Lib. XXXIII. Cap. 2. ubi equitem Romanum fuisse & sub Imperatore Claudio vixisse, ex his verbis liquet: *Adeo promiscuum id esse cœpit, ut apud Claudium Cæsarem in censura ejus unus ex equitibus Flavius Proculus* CCCC *ex ea causa reos postularet.* Qui quidem quid scripserit, me prorsus nescire fateor.

FLAVIVS VIRGINIVS, Rhetor inclutus, *de Arte oratoria* scripsit, teste *Quintiliano* Lib. III. Cap. 1. sub finem: *scripsit de eadem materia* (sc. præcepta eloquentiæ) *non pauca Cornificius - - accurate vero priores Gallione Celsus & Lenas, & ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius*; unde eum sub Vespasianis floruisse constat. (conf. seqv.) item Cap. 8. *Itaque dixerunt conjecturalem, legalem, juridicialem, qui & Virginio placent*; nec non Lib. IV. Cap. 1. *quo in loco Virginius fallitur, qui Theodoro placere tradit, ut ex singulis quæstionibus singuli sensus in procemium conferantur.* Adde ex Libro VII. Cap. 5. *Hoc tantum admiror, Flavium cujus apud me merito summa est auctoritas, cum artem Scholæ tantum componeret, tam anguste materiam qualitatis terminasse*; & Lib. XI. Cap. 3. *Urbane Flavius Virginius interrogavit de quodam antisophiste, quot millia passuum declamasset.* Conf. *Plin.* in Indice Lib. XIX.

M. CORN. FRONTO, Rhetor percelebris temporibus Hadriani, Magister Imperatorum M. *Antonini Philosophi & Veri* (v. *Capitolinus* in vita *illius*

illius Cap. 2. & *hujus* Cap. 2. coll. cum M. *Antonin.* Lib. I. de rebus ſuis §. 11. pag. m. 3.) quem ſe audiviſſe fatetur *Gellius* Lib. XIX. cap. 8. & 10. quid ſcripſerit, haud ſatis conſtat, niſi *Orationem* (forte adverſus Chriſtianos) huic tribuere liceat, quam memorat *Minutius Felix* in Octavio Cap. 9. *Et de convivio notum eſt, (paſſim omnes loquuntur) id etiam Cirtenſis noſtri oratio teſtatur.* coll. cum Cap. 31. *Sic de iſto* (inceſto convivio) *& tuus Fronto, non ut adfirmator teſtimonium fecit, ſed convitium ut orator adſperſit*: & *fragmentum* apud *Iſidorum* Lib. XV. Cap. 2. extr. *ut pergræcari potius amœnis locis, quam coërceri carcere videretur*; cui addi poſſunt tria alia apud *Servium* in Notis ad Virgil. Æneid. I, v. 413. & VII. v. 30. 688. Conf. *Eutrop.* qui *Oratorem nobiliſſimum* noſtrum vocat Lib. VIII. Cap. 6. item *Caſſiodor.* Chron. pag. m. 691. nec non *Hieronym.* de Viris Illuſtr. c. 24. p. m. 93. & *Auſon.* in Gratiarum Actione ad Gratianum. Alius eſt *Fronto* Emiſenus Orator, qui Athenis æmulus Philoſtrati primi & Apſinis Gadareni, qui & Romæ temporibus Imperatoris Severi vixit, de quo vide ſis *Suidam* in Φρόντων p. m. 1004. Alius item *Fronto*, nobilis Romanus, eximius litteratorum & poëtarum Fautor, cujus meminit *Juvenalis* Sat. I. v. 12.

Frontonis platani convulſaque marmora clamant
Semper & aſſiduo ruptæ lectore columnæ.

item *Martialis* Lib. I. Epigr. 56.

Clarum militiæ Fronto togæque decus.

quem *M. Frontonem* vocat *Gellius* Lib. II. cap. 26.

Mitto *Frontones* alios, *Julium*, *Octavium*, *Vibium*, *Catium* &c. de quibus vide *Tacitum* Histor. I, 20. 5. II. 26. 2. & Annal. II. 33. 1. nec non 68. 3. Denique qui Oratoris nostri dicendi genus sequebantur, *Frontonianos* dictos fuisse adnotare libet ex *Sidonio Apoll.* Lib. I. Epist. I. conf. Lib. IV. ep. 3. & 21. item Lib. VIII. Ep. 10. de *oratione* Frontonis in *Pelopem.*

FVLVIVS FLACCVS, antiquissimus Scriptor, a *Varrone* laudatur Lib. V. de L. L. cap. 4. p. m. 35. *Secundus*, (Mensis *Aprilis*) *ut Fulvius Flaccus scribit & Junius Gracchus, a Venere, quod ea sit* Ἀφροδίτη -- & mox ibid. Februarius, *ut iidem dicunt Scriptores ab diis infereis appellatus, quod tum heis parentetur.* Adde ex Capite tertio ibid. MEDITRINALIA *dies dictus a medendo, quod, ut Flaccus flamen Martialis dicebat, hoc die solitum vinum novum & vetus libari & degustari medicamenti causa.* De ætate *Flacci* nostri nihil definio, cum plures in historia Romana *Fulvii Flacci* commemorantur, de quibus vide hinc *Eliæ Reusneri* Genealogicon Romanum, illinc *Livium* Lib. 42. c. 11. *Frontinum* Strateg. 4. 1. 32. *Vell. Paterculum* I. 10, 6, II. 6, 4, & 8, 2. *Eutropium* III. 1, 4. *Sallustium* B. J. p. m. 290, 233. 234. *Florum* Præf. 6. & II. 6. 43. &c.

C. FVNDANIVS, Comœdiarum Scriptor optimus imo solus temporibus Augusti, ab *Acrone* & *Porphyrio* laudatur ad illa *Horatii* Lib. I. Sat. X v. 42.

Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta

Elu-

Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundani.

FVRIVS aliquis, incertæ ætatis antiquissimus Scriptor, laudatur *Macrobio* Lib. III. Sat. cap. 9. *Reperi in libro quinto rerum reconditarum Sereni Sammonici utrumque carmen, quod ille se in cujusdam Furii vetustissimo libro reperisse professus est; est autem carmen hujusmodi, quo dii evocantur, cum oppugnatione civitas cingitur:* SI. DEVS. SI. DEA. EST. CVI. POPOLVS. CIVITAS. QVE. KARTHAGINIENISIS. EST. IN. TVTELA. TE. QVE. MAXIME. ILLE. QVI. VRBIS. HVIVS. POPOLI. QVE. TVTELAM RECEPISTI. PRECOR. VENEROR. QVE. VENIAM. QVE. A. VOBIS. PETO. VT. VOS. POPOLVM. CIVITATEM. QVE. KARTHAGINIENSIEM. DESERATIS. LOCA. TEMPLA. SACRA. VRBEM. QVE EORVM. RELINQVATIS. ABSQVE. HIS. ABEATIS. EI. QVE. POPOLO. CIVITATI. QVE. METVM. FORMIDINEM. OBLIVIONEM. INJICIATIS. PRODITI. QVE. ROMAM. AD. ME. MEOS. QVE. VENIATIS. NOSTRA, QVE. VOBIS. LOCA. TEMPLA. SACRA. VRBS. ACCEPTIOR. PROBATIOR. QVE. SIT. MIHI. QUE. POPOLO. QUE. ROMANO. MILITIBUS. QUE MEIS. PRÆPOSITI. SITIS. UT SCIAMUS. INTELLIGAMUS. QUE.

SI.

SI. ITA. FECERITIS. VOVEO. VOBIS. TEMPLA. LVDOS. QUE. FACTVRVM. Conf. sequentia ibidem. Alius est, credo, *Furius*, uterque poëta, de quibus vide *Gyraldum* Dial. IV. pag. m. 424-426. & *Vossium* de Histor. Lat. pag. 61.

FVSSITIVS, Scriptor rei Architectonicæ, a *Vitruvio* laudatur in Præfatione Libri VII. *Animadverti in ea re ab Græcis Volumina plura edita, ab nostris oppido quam pauca. Fussitius enim mirum* (lege *unum*) *de his rebus primus instituit edere volumen, item Terentius Varro de novem disciplinis, unum de Architectura, Pub. Septimius duo.* Alii *Fufsitius* legunt, sed minus emendate. Ad oram editionis antiquæ (1523. in forma, quam vocant, octava) cum MStis Codicibus collatæ, quæ in Bibliotheca nostra Scholastica Ripis asservatur, adnotatum est *Fuitius*, quod neque mendo carere videtur.

G.

GADVLLIVS GALLICANVS, auctor incertæ ætatis, a *Nonio* cum hoc fragmento citatur Cap. 3. num. 50. in *Canalis*: *Ego vero confiteor certo canali cuncta decurrere.* Pro *Gadullius Gallicanus* forte legendum *Turdulus Gallicanus*, historicus, de quo vide *Vopiscum* in vita *Probi* Imperatoris cap. 2. Sed nihil muto. Taceo *Gallicanos* alios apud *Cassiodorum* in Chron. p. m. 694. *Julium Capitolinum* in Maximinis Duobus p. 359. & Gordiano tertio p. 365. &c. *Gadullii* vero nomen nusquam invenio.

GALLICVS, poëta & rhetor, nisi fallor, sub Do-

Domitiano fuit, cui *Martialis*, judicium rogatus, ita falſe reſpondet Lib. VIII. Epigr. 76.

Dic verum mihi, Marce, dic amabo:
Nil eſt, quod magis audiam libenter:
Sic & cum recitas tuos libellos,
Et cauſam quoties agis, clientis,
Oras, Gallice, me rogasque ſemper.
Durum eſt, me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid ſit audi:
Verum, Gallice, non libenter audis.

Conf. Lib. IX. Epigr. 49, in *Gallicum*.

GALLIO aliquis a *Plinio* laudatur Lib. I. Hiſtor. Nat. in Indice Libri XX. incertum, M. *Gallio*, cui *Libros ad Herennium* tribuit *Julius Cæſar Scaliger*, (v. *Fabric.* Bibl. Lat. p. m. 96) an *Junius Annæus Gallio* (quod veriſimilius mihi videtur) de quo meminit idem *Plinius* Lib. XXXI. Cap. 6. *Præterea eſt alius uſus multiplex, principalis vero navigandi phthiſi affectis, ut diximus, aut ſanguinem egerentibus: ſicut proxime Annæum Gallionem feciſſe poſt Conſulatum meminimus.* Qui quidem *Annæus Gallio* filiusne M. Annæi Senecæ ſit, ante adoptionem M. *Annæus Novatus* dictus, (cujus mentio exſtat Actorum XVIII. 12) haud ita conſtanter aſſeruerim, ſane vix dubitaverim. Conf. de hoc *Gallione* noſtro *Tacitum* Annal. VI. 3, 1. & XV. 73. 3. *Senecam* de Vita Beata Cap. I. princ. Quæſt. Nat. Lib. IV Præfat. p. 690. & Lib. V. cap. 11. ac denique Epiſt. 104. ſub init. nec non *Caroli Stephani* Lexicon Hiſtorico-Poëticum in *Gallio*, & quos allegat Celeb. *Fabricius* Supplem. Bibl. Lat.

p.

p. 149. *Grotium*, *Nicolaum Antonium*, *Barthium*, item Jo. Savari Notas ad *Sidonii* Epist. X. Lib. V. p. m. 345.

GELLIANVS. v. supra C. ÆLIANVS.

GEMINIUS, *Plinio* Juniori familiaris, scripsisse aliquid videtur ex hujus Lib. IX. Epist. XI. ad illum: *Epistolam tuam jucundissimam recepi, eo maxime, quod aliquid ad te scribi volebas, quod libris inseri posset.* Conf. epist. 30. & Lib. VII. Ep. 24. nec non Lib. VIII. Epist. 2. & 22. Equitem Romanum eum fuisse censeo, quod nobilis aut equestris fuit gens Geminiorum apud Romanos. Vide inprimis *Livium* & *Tacitum*.

GEMINIVS VARIVS. vid. *Varius*.

ANT. GNIPHO v. sup. *Antonius*.

C. GRACCHVS, Orator illustris, nemini ignotus esse potest, qui *Ciceronem* legit Lib. III. de Oratore. Sed *Orationes* hominis earumque fragmenta nondum utique innotuerunt, quorum notitiam debemus partim *Gellio* Lib. I. Cap. 7. *Sed & Gracchus* dicturum - *indefinito modo dixit.* Lib. IX. Cap. 14. „C. Gracchus (sc. in Oratione) de legi-„bus promulgatis, *Ea luxurii causa aiunt institui.* „Lib. XI, c. 13. „Apud T. Castricium - legebatur „oratio C. Gracchi in P. Popilium. In ejus ora-„tionis principio collocata verba sunt accuratius „modulatiusque, quam veterum oratorum consve-„tudo fert; ea verba sicuti dixi composita sunt hæc: „*Quæ vos cupide per hosce annos appetistis atque vo-„luistis, ea si temere repudiâritis, abesse non potest, „quin aut olim cupide appetisse aut nunc temere re-*

pu-

„*pudiasse dicamini*„ Conf. Lib. XV. Cap. 12. quod totum loca continet ex oratione C. Gracchi de parsimonia ac pudicitia sua ad populum, quam Græce convertit *Plutarchus* in Graccho; partim *Prisciano* Lib. VIII. pag. m. 287. *Ærarium delargitur* (lego *dilargitur*, passive) *Po. Rom.* item Lib. X. pag. 393. „Gracchus pro se: *si nanciam* (pro, nan„ciscar) *populi desiderium, comprobabo reip. commo„da.* partim *Festo* in *Masculino*-: C. Gracchus in Popilium & matronas-: *Dignus fuit, qui mala cruce periret*; & in *Occisitantur*: *Homines liberi nunc in oppido occisitantur*; in *Osi*: C. Gracchus in ea, quæ est de lege Minucia: *Mirum si quid iis injuriæ fit? semper eos osi sunt*; in *Ostentum*: C. Gracchus de legibus a se promulgatis: *quod unum nobis in ostentum, ipsis in usum asportatur.* in *Potestur*: Poteratur (sc. dixit) *C. Gracchus in ea, qua usus est, cum circum conciliabula iret*; in *Respublicas*: C. Gracchus in ea, quam conscripsit de lege P. Ennii & peregrinis: *eæ nationes cum aliis rebus per avaritiam atque stultitiam respublicas suas amiserunt.* Conf. *Quintilian.* Lib. I. Cap. 10. p. m. 68. & Lib. XI. c. 3. p. m. 646. *Diomedes* de Impersonali Verb. Declinatione, sub finem, item p. m. 9. ex Oratione *in L. Metellum. Servius* Georg. II. v. 288. Æn. VII. v. 716. & XI. v. 301. nec non *Gellius* Lib. X. c. 3. princ. Lib. XI. c. 10.

GRÆCINVS JVLIVS, Vir egregius Senatorii Ordinis, & eloquentiæ sapientiæque studio notus (quæ verba sunt *Taciti* in vita Agricolæ IV, 2) *de Vineis* scripsit teste *Columella* de R. R. Lib. I. Cap. 1.

Cap. I. *Duo Volumina similium præceptorum de Vineis Julius Græcinus composita facetius & eruditius posteritati tradenda curavit;* quorum fragmentum apud eundem Lib. IV, Cap. 3. legitur: *In omni genere impensarum (sicut ait Græcinus) plerique nova opera fortius auspicantur, quam tuentur perfecta. Nam quidam, ut inquit, ab inchoato domos exstruunt, nec perædificatis cultum adhibent* &c. & mox ibidem: *Idque non solum ratione sed etiam exemplo nobis idem Græcinus declarat eo libro, quem de vineis scripsit, cum refert ex patre suo sæpe se audire solitum, Paridium quendam Veterensem vicinum suum duas filias & vineis consitum habuisse fundum, cujus partem tertiam nubenti majori filiæ dedisse in dotem, ac nihilo minus æque magnos fructus ex duabus partibus ejusdem fundi percipere solitum - &c.* Adde ex Libro III. Cap. 2. *Ubi multa invitabunt regionis commoda, ut nobilem vitem conseramus, generosam requiremus, inquit Julius Græcinus* - &c. Cap. 3. *Cur ergo res infamis est? non quidem suo sed hominum inquit vitio Græcinus.* (Conf. seqv. ib. p. m. 98, 99.) Cap. 12. *Sed ne nunc per infinitas terreni species evagemur, non intempestive commemorabimus Julii Græcini conscriptam velut formulam, ad quam posita est limitatio terræ vinealis. Idem enim Græcinus sic ait* - - &c. & denique Lib. IV. Cap. 28. *Græcinus sic refert; potest videri satis esse constitutam vineam ter fodere.* Adde porro ex *Plinio* H. N. Lib. XVI. Cap. 44. *Græcinus auctor est, sexagenis annis durasse vites.* Conf. Lib. XIV. Cap. 2. (ubi *Cornelium*

lium Celſum tranſcripſiſſe Noſter dicitur)item lib. I. in Indice lib.XIV,XV,XVI,XVII.XVIII,ubi*Græcini* nomen inter eos Scriptores repetitur, quorum opera Auctor hiſtoriam ſuam naturalem ſe compoſuiſſe fatetur:& *Menagii* Amœnit. Jur. Civ. C. IX.p.21. Vis alia de *Græcino* noſtro teſtimonia? audi *Senecam* Lib. II. de Beneficiis Cap. 21. *Si exemplo magni animi opus eſt, utamur Græcini Julii Viri egregii, quem C. Cæſar occidit ob hoc unum,quod melior vir erat, quam eſſe quemquam tyranno expediret.* Vides ætatem, quæ illuſtrem hunc Scriptorem tulit. Conf. Epiſt. XXIX. & *Feſtum* in *Potitus.*

GRANIANVS. v. *Julius Granianus.*

GRANIVS FLACCVS LICINIANVS Grammaticus, uti conjicio, de feriis diebus ſive diſcrimine dierum apud ROMANOS ſcripſiſſe videtur ex verbis *Macrobii* Lib. I. Sat. Cap. 16.*Cornelius Labeo primo faſtorum libro nundinis ferias eſſe pronunciat. Cauſam vero hujus varietatis apud Granium Licinianum libro ſecundo diligens lector inveniet.* Conf. ib.Cap.18.Reliquit & Librum ad Cæſarem de *Indigitamentis*, ut auctor eſt *Cenſorinus* de die Natali c. 3. de quo forte *Granio* intelligendum illud *Feſti* in PRICAE: *Granius quidem ait eſſe muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica redimiatur*; & *Quintiliani* Lib. I. cap. 6. *Ingenioſe ſibi viſus eſt Cajus Granius* Cœlibes *dicere veluti* Cœlites- (ubi*Caninius* legit *Valla* in Dialecticis, alii *Gabinius*) item fragmentum ex *Peliadibus* apud *Nonium* Cap. III. num.75.*ſonat impulſa regia cardo.*conf. *Arnob.* adv. Gentes lib. VI & notas *Servii* ad Virgil. lib. I. Æneid. v.741. p. m.227.Pætereo alia de *Granio* noſtro

quæ tradit *Lud. Carrio* Emendat. Lib. I. Cap. IV. p. m. 97, 98. Taceo de *Granio*, quem *Medicum* appellat *Plinius* Lib. I. H. N. in Indice Libri XXXVIII, cujus & hæc obſervatio refertur Lib. XXVIII, Cap. 4. *Ejectus lapillus calculoſo, alligatus ſupra pubem, levare ceteros dicitur ac jecineris etiam dolores, ac celeritatem partus facere. Addidit Granius, efficaciorem ad hoc eſſe ferro exemtum.* Sunt & alii in hiſtoria Romana non incelebres *Granii*, ut *Granius Marcellus* apud *Tacitum* Annal. I. 74. 1. *Granius* præco apud *Lucilium* (v. Gell. Lib. IV. cap. 17.) Q. *Granius* itidem apud *Tacitum* Annal. IV, 21. 2. *Granius Marcianus* ib. VI, 38. 5. & *Granius Silvanus* ib. XV, 50. 3. & 60. 5. nec non 71, 3. &c.

H.

HERENNIVS aliquis, (Grammaticus, credo) qui *de Vitiis Virgilii* ſcripſit, a *Donato* in Vita Virgilii laudatur pag. m. 4. Obſcurum nomen inter tot *Herennios*, de quibus vide Celeb. *Fabricii* mei Bibl. Lat. Lib. I. Cap. 8. p. m. 97. 98. & infra *Partem* II. de *Herennio Severo.*

HIERONYMVS aliquis a *Seneca* allegatur Lib. I. de Ira cap. 16. cum hoc dicto: *Quid opus eſt, inquit Hieronymus, cum velis cædere aliquem, prius tua labia mordere?* incertum, Græcus Scriptor an Romanus, philoſophus, (uti mihi videtur) an hiſtoricorum unus, de quibus *Voſſius* Lib. I. de H. Gr. Cap. XI. p. 63 -- 66.

L. HORTENSIVS, *de rebus Catilinæ* ſcripſit, ſi fides habenda *Porcio Latroni*, qui in Declamat. in Catilinam p. m. 913. *Lucius Hortenſius*, inquit

quit, *Vir eximia caritate Reipublicæ summisque ornamentis præditus & scientiæ & moderationis, nequaquam omnia credenda esse dicit, jubetque gravissimis hominibus facilitatem judiciorum diligenter esse continendam. Primum affirmat Catilinam in perpetua custodia Senatus exstitisse, denique nunquam ferme discessisse a latere Publii Cæpionis nobilissimi civis atque integerrimi Viri, ita ut lepide dicat, disseparationi eorum neque solem orientem unquam neque occidentem intervenisse. Credo equidem sapientissimum hominem Hortensium (ut est innocentia singulari summaque virtute) cuncta ipsa, quæ gravissime simul atque ornatissime complexus est, ita vera esse, sicuti dixerit, existumare;* ex quibus forte conjiciet aliquis, rhetorem fuisse *Hortensium* nostrum & pro Catilina dixisse: non repugno. Conf. *Sidon. Apoll.* Lib. IV. epist. 3. de *Vernante Hortensio*, & *Apul.* Apolog. p. m. 447. de Oratoria *distributione* Hortensii, ut testimonia *Ciceronis taceam* atque *Hieronymi* ad Lætam epist. 7. nec non *Servii* locum ad Virgil. Æneid. XI. v. 497.

HYLLUS aliquis a *Macrobio* citatur Lib. 3. Sat. Cap. 2. *Hyllus Libro, quem de diis composuit, ait Vitulam vocari Deam, quæ lætitiæ præest.* Ad quem locum *Pontanus* in notis: „Rescripserat, *inquit*, „Scriverius ad oram libri sui, *Hyginus*. Qui & a„liquoties a Macrobio in testimonium adducitur. „Quamvis, eodem notante, *Hyllus* inter Romana „etiam nomina reperiatur in Inscriptionibus & a„pud Martialem„. Adde ex Observationibus Philologicis Viri Cl. *Georg. Henr. Ursini* Cap. IX. pag.

154., „*Hyllus* cum dicit, *Deam esse lætitiæ præ-* „*sidem quæ Vitula vocatur*, Piso contra *Victoriam* „vult nominari *Vitulam*. Quis autem *Hyllus* iste, „qui Librum nescio quem de Diis composuit? Pro „forma equidem nominis Græculum oportet fuis- „se„. Ego nihil definio, sed nec temere mutandum quidquam censeo. Id unum adnoto, apud *Martialem*, cuius auctoritate utitur *Scriverius*, non *Hyllum* legi sed *Hylum* in istis versibus Lib. IV. Epigr. 7.

Cur here quod dederas, hodie puer Hyle negasti?
& mox ibid.

Quid nos derides? here qui puer Hyle fuisti, Conf. Lib. II. Epigr. 51. & 60. Et ne quid dissimulem, fateor suspectum mihi esse locum *Plinii* Lib. X. H. N. c. 16. legendumque *Hylas*, pro eo quod receptum est, *Hylas*. Verba Plinii sunt: *Externorum de auguriis peritissime scripsisse Hylas nomine putatur. Is tradit noctuam, bubonem, picum arbores cavantem, trogonem, cornicem, a cauda de ovo exire - &c.*

I.

IACCHVS aliquis a *Plinio* Lib. I. Hist. Nat. in Indice Libri XXXVII. inter eos Scriptores laudatur, ex quibus auctor se profecisse testatur. De quo quidem obscuræ memoriæ homine quod prodam non habeo, nisi conjectare liceat, eum esse, quem *Siscennium Iacchum* vocat *Svetonius* de Illustr. Gramm. cap. 3. *notissimumque doctorem in Gallia Togata docuisse* tradit. Nomen est *Bacchi* (Ἴακχον Græci dixere) quod & apud *Ciceronem* legitur, Lib. 2. de Legibus Cap. 14. *Quid ergo aget Iacchus Eumol-*

Eumolpidæque nostri & augusta illa mysteria? Conf. *Virgil* Eclog. 6. v 15. et *Petri Castellani* Syntagma de Festis Græcorum pag. 137 seqv.

JVLIVS AQVILA, Eques Romanus temporibus Claudii, *de Hetrusca disciplina* scripsit, teste *Plinio* Lib. I. in Indice Lib. II. & XI. Cujus quidem de rebus gestis vide *Tacitum* Annal. XII. 15, & 21. Alius est *Julius Gallus Aquila*, de quo alii qui vitas JCtorum scripserunt. Alius *Aquila*, de quo supra suo loco.

JVLIVS ATTICVS, *rei rusticæ* Scriptor, ab *Isidoro* laudatur Lib. XVII. Orig. Cap. 1. *Apud Romanos de agricultura primus Cato instituit, quam deinde Marcus Terentius expolivit, mox Virgilius laude carminum extulit. Nec minus studium habuerunt postmodum Cornelius Celsus & Julius Atticus* - &c. & *Columella* Lib. I. Cap. 1. *Non minorem laudem meruerunt nostrorum temporum Viri Cornelius Celsus & Julius Atticus. Quippe Cornelius totum Corpus disciplinæ quinque libris complexus est. Hic de una specie culturæ pertinentis ad vites singularem librum edidit.* Adde ex Libro III. Cap. 3. *Neque id cuiquam dubium esse debet, cum & nostram & Julii Attici rationem dispexerit*; & Cap. 11. *Quicquid, ut ait Julius Atticus, retorridum surculum facit. · Gravis est rubrica, ut idem Atticus ait, et ad comprehendendum radicibus iniqua*; Cap. 16. *tali consitioni Julius Atticus abunde putat esse malleorum sexdecim millia.* Cap. 17. *Mox Julius Atticus & Cornelius Celsus ætatis nostræ celeberrimi auctores* - Conf. Cap. 18. & Lib. IV. Cap. 1.

8, 10, 13, 28, 29, 33. Allegatur & noſter a *Plinio* Lib. I. in Indice Libri XV. (ubi diſtinctio adhibenda videtur) & XVII. Alius eſt, credo, (calculo temporis recte poſito) & ætate inferior *Julius Atticus* ſpeculator apud *Tacitum* Hiſt. Lib. I. Cap. XXXV. n. 3. qui *Obvius in palatio, cruentum gladium oſtentans*, occiſum a ſe Othonem *exclamavit.* Alius porro *Julius Atticus* ſud Trajano, de quo meminit *Plinius* Junior Lib. I. Epiſt. 12. num. 10.

JVL. GRÆCINVS. v. *Græcinus.*

JVLIVS GRANIANVS, Rhetor, Præceptor Alexandri Severi, *Declamationes* ſcripſit, teſte *Lampridio* in vita hujus Cap. 3. *Romæ Grammaticos* (magiſtros habuit Alex. Severus) *Scaurinum Scaurini filium doctorem celeberrimum : rhetores Julium Frontinum et Bæbium Macrinum et Julium Granianum, cujus hodieque orationes declamatæ feruntur.*

JVLIVS MODESTVS, Grammaticus, Hygini libertus, in ſtudiis atque doctrina veſtigia patroni ſecutus (quæ verba ſunt *Suetonii* de Ill. Gr. cap. XX.) *Quæſtiones confuſas* ſcripſit, quarum *ſecundum Librum* allegat *Gellius* meus Lib. III. cap. 9. Conf. *Ptolomæi Flavii* Conjectan. Cap. XIX. p. m. 965. Tom. I. Theſaur. Gruter. Reliquerat & Librum *de Feriis*, ex quo Fragmenta adducit *Macrobius* Saturnal. Lib. I. cap. 4. „Julius Modeſtus „de feriis, *Saturnaliorum*, inquit, *feriæ*; & in eodem „libro : *Antias*, inquit, *Agonaliorum repertorem* „*Numam Pompilium refert*„ item cap. 10. *Julius Modeſtus ideo ſacrificari huic deæ* (Angeroniæ) *dicit*,

quod

quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, præmiſſo voto ſit liberatus. Conf. Cap. 16. Meminit & *Modeſti* noſtri *Quintilianus* Lib. I. Cap. 6. *Nec ei* (Cajo Granio) *cedit Modeſtus inventione, nam quia Cœlo Saturnus genitalia abſciderit, hoc nomine* (cœlibes) *appellatos, qui uxore careant.* Adde porro *Martial.* Lib. I. Epigr. XXI.

Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat?

De aliis Modeſtis *vide Molleri*, Viri Cl. Homonymoſcopiam Cap. IV. §. XLVI. pag. 392. Conf. *Jo. Alb. Fabricii* mei Biblioth. Lat. p. 238. & 674. & *Voſſ.* de *Aufidio Modeſto* Lib. I. pag. 114.

JVLIVS PAVLVS, Grammaticus & poëta, temporibus Hadriani, cujus eruditionem mirifice prædicat *Gellius* Lib. I. Cap. 22. *Julius Paulus, homo in noſtra memoria doctiſſimus.* & Lib. XIX. cap. 7. *Julius Paulus, poeta, Vir bonus & rerum litterarumque veterum impenſe doctus.* Conf. Lib. V. Cap. 4. & Lib. XVI. cap. 10. In *Cœlii* Hiſtoriam & nonnullas Afranii comœdias ſcripſit, teſte *Chariſio.* Alius eſt *Julius Paulus* Batavus, cujus meminit Tacitus Hiſtor. IV. 13. 1. alius porro *Julius Paulus* inclytus ille ſub Alexandro Severo apud *Lampridium* cap. 68. JCtus, de quo vide ſis *Jo. Molleri* Homonymoſcopiam Cap. IV. §. 48. pag. 393.

JVLIVS SECVNDVS, Orator eloquentiſſimus, quid ſcripſerit, jam pridem monuit eruditiſſimus *Voſſius* de H. L. p. 145. Nos in gratiam *Voſſii* & uberiorem *Secundi* memoriam præclara addimus teſtimonia *Quintiliani* Lib. X. Cap. 1. *Julio*

Secundo si longior contigisset ætas, clarissimum profecto nomen Oratoris apud posteros foret. & Cap. 3. *Qua de re memini narrasse mihi Julium Secundum, illum æqualem meum, atque a me, ut notum est, familiariter amatum, miræ facundiæ Virum -.* item Lib. XII. Cap. 10. *In his etiam, quos ipsi videmus, copiam Senecæ* (reperiemus) *vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Crispi, sonum Trachalli, elegantiam Secundi.* Alius est, nisi fallor, *Secundus*, *ἐπὶ τῶν ἐπιςολῶν γενόμενος τȣ̃ Ὄθωνος, qui Othoni* (Imperatori) *ab epistolis fuit*, de quo vide *Plutarchum* in Othone pag. 1070.

L.

CORN. LABEO. v. *Cornelius Labeo.*

C. LÆLIUS quantus Orator fuerit, quantis virtutibus conspicuus, nemo quantillum humanus ignorat; verum quid scripserit, a nemine adhuc adnotatum animadverti. *Orationes* ab eo editas esse certum est, quarum unius, quam *pro se* dixit, fragmenta duo leguntur apud *Festum* in *Obsidium: Ut in* (forte *ii*) *nobis terra mariq; simul obsidium facerent.* & *Satura: Dein postero die, quasi per Saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur.* De *Decimo Lælio* vide supra, de *Lælio Felice* JCto antiquissimo, qui libros aliquot ad Q. MinuciumScævolam composuit, *Gellium* Lib. XV. c. 27. ut alios *Lælios* taceam.

LAPPA RUBRENUS, poëta sui temporis tragicus, *Atreum* tragœdiam scripsit, si recte intelligo illud *Juvenalis* Sat. VII. v. 72

poscimus, ut sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus & alveolos & lænam pignorat Atreus.

Scripserat autem & *Accius* tragœdiam, cui *Atreus* nomen, teste *Gellio* Lib. XIII, Cap. 2. item *Nonio*, qui hujus fragmenta nobis servavit pag. m. 202, 210, 281, 415, & 505. edit. Paris. 1614. in 8.

LARGIVS LICINIVS satis forte notus est una cum suo libello, cui titulus *Ciceromastix*, quem damnat *Gellius* Lib. XVII. Cap. 1. confer *Plin.* Jun. II. 14, 9 & III. 5, 17. item *Plinium* avunculum, qui Lib. I. in Indice Libri XXI. P. *Largii* meminit, & Lib. XIX. Cap. 2. extr. *Lartii Licinii* in hunc modum: *Lartio Licinio Prætorio viro jura reddenti in Hispania Carthagine paucis his annis scimus accidisse mordenti tuber, ut deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret;* ubi *Largium Licinium* haud male forte intellexeris. Conf. Lib. XXXI. Cap. 2.

LATINVS ALCIMVS, Rhetor, inter Professores Burdigalenses ab *Ausonio* una cum Scriptis suis commendatur num. 3. pag. m. 65. præcipue in his versibus:

Ut Julianum tu magis famæ dabis,
Quam sceptra, quæ tenuit brevi.
Sallustio plus conferent libri tui,
Quam consulatus addidit.

Historiam (verba sunt *Jos. Scaligeri* Lib. I. Auson. Lect. c. IX. pag. 27) ut hinc conjicimus, suorum temporum, hoc est, Claudii Juliani Imp. conscripserat Latinus Alcimus. Julianus vero Consulatu

ſuo quarto collegam habuit Salluſtium. Cum igitur geſta Juliani in commentarios referret, non eſt credibile, Conſulem Salluſtium eum præteriiſſe. Meminit & de *Latino* noſtro *Alcimo Sidonius* Lib. V. epiſt. 10.

P. LAVINIUS a *Gellio* citatur Lib. XX. Cap. 11. *P. Lavinii liber eſt non incurioſe factus, is inſcriptus eſt de* VERBIS SORDIDIS. *In eo ſcripſit* SCULNAM, *vulgo dici, quaſi* SECULNUM, *quem qui elegantius, inquit, loquuntur, ſequeſtrem appellant.* Conf. ſeqv. & *Menagii* Amœn. Jur. Civ. p. 218 - nec non *Morhof.* de Patavin. Liv. p. 82. *Macrobius* Lib. III. Sat. cap. 8. *Lævino* alicui hoc fragmentum tribuit: *Venerem igitur almum adorans ſive femina ſive mas eſt, ita uti alma noctiluca eſt*; ubi pro *Lævino* legi oportere *Lavinium* putat *Meurſius*, cui adſentior. Alius eſt L. *Lavinius* apud *Donatum*, de quo *Gyraldus* Dialog. VIII. p. m. 895.

LAURANIUS aliquis, Grammaticus, credo, qui *de Litteris* forte ſcripſit, (adverſus *Servium* temporibus Auguſti) a *Quintiliano* laudatur Lib. IX. Cap. 4. *Quæ fuit cauſa & Servio* (Sulpitio) *ſubtrahendæ S. litteræ, quoties ultima eſſet, aliaque conſonante ſuſciperetur, quod reprehendit Lauranius, Meſſala defendit*, qui ſcilicet de littera S. ſcripſit, teſte eodem Lib. I. Cap. 7.

LENÆUS MELISSUS, Grammaticus, a *Svetonio* citatur de Illuſtr. Gr. Cap. 3. *Lutatium Daphnidem Lenæus Meliſſus per cavillationem nominis* Πανὸς ἄγημα *dicit*. Ad quæ Vir Clar. *Jo. Georg. Grævius* in Notis pag. m. 820. „Nomen *Lenæus*

„*næus* corruptum esse censeo. Is enim fuit Pom„peji libertus - sed *Melissus* fuit libertus Mecænatis, „vide Cap. 21. Legendum *Cilnius Melissus*, nam „quis ignorat Mecænatem Cilnium esse dictum?„ Ego a recepta lectione nequaquam recedendum esse arbitror, assumendum vero potius nomen *Mecænatis* quam *Cilnii*, quod & approbat *Plinius* Lib. XXVIII. Cap. 6. *Triennio Mecænatem Melissum accepimus silentium sibi imperasse, a convulsione reddito sanguine*: quem locum non apposite satis in rem suam convertisse videtur sagacissimus *Grævius*, utpote de *Cajo Melisso*, Liberto Mecænatis, non *Lenæo* nostro accipiendum. De aliis *Melissis* vid. supr. *Ælius Melissus*.

LENÆVS POMPEIVS, Pompeji Magni libertus, quomodo se schola sustentaverit, in Carinis ad ædem Telluris docuerit, Sallustium acerbissima Satyra laceraverit, &c. refert *Svetonius* in hujus vita de Illustr. Gramm. Cap. XV. Conf. Cap. II. Sed & *Plinium* audiamus Lib. XV. Hist. Nat. Cap. XXX. sub init. *Duo lauri genera tradit Cato: Delphicam & Cypriam: Pompejus Lenæus adjecit, quam mustacem appellavit, quoniam mustaceis subjiceretur.* - &c. item Lib. XXV. Cap. 2. *Antea condiderat solus apud nos, quod equidem inveni, Pompejus Lenæus, Magni libertus: quo primum tempore hanc scientiam* (sc. rei herbariæ) *ad nostros pervenisse animaduerto*; & paucis interjectis ibidem: *Pompejus omni regia præda potitus, transferre ea* (arcana medica) *sermone nostro libertum suum Lenæum, Grammaticæ artis doctissimum, jussit.* Conf. Cap.-

Cap. 6. & Lib. I. in Indicibus Libb. XIV, XV, XX, XXI, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII. Adde ex *Gellio* Lib. XVII, Cap. 16. *Anates Ponticas dicitur edundis vulgo venenis victitare. Scriptum etiam a Lenæo Cn. Pompeji liberto, Mithridatem illum Ponti regem medicæ rei & remediorum id genus solertem fuisse, solitumque eorum sanguinem miscere medicamentis, quæ digerendis venenis valent* &c.

LENAS POPILIVS, Nobilis Romanus (vide *Eliam Reusnerum* de Familiis Coss. Rom. p. 33. seqv. de *Popiliis Lenatibus* Coss.) præcepta eloquentiæ litteris tradidit, teste *Quintiliano* Lib. III. Cap. 1. *scripsit de eadem materia* (oratoria) *non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio, accurate vero priores Gallione Celsus & Lenas* - *&c.* Addo ex Libro X. Cap. ult. *Illud quod Lenas præcepit, displicet mihi, quæ scripserimus, in summas sive commentarios & capita conferre; facit enim & discendi negligentiam hæc ipsa fiducia, & lacerat ac deformat orationem.* item ex Libro XI. Cap. ult. sub finem: *Nec inutiliter ex Græcis Veteres transtulerunt, quod ab his sumtum Lenas Popilius posuit, esse hanc inotiosam* (Quintilianus forte *inactuosam* ex Popilio scripserat) *actionem.*

LENIVS *Auruncanus*, poëta Satyricus, a Veteri Scholiaste laudatur & intelligi creditur in illo *Juvenalis* Sat. I, v. 20

Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus: aliis *Lucilio* hunc titulum adserentibus. Vid. *Jos. Scalig.* Lect. Auson. Lib. II. cap. XI. p. m. 115.

LI-

LIVIVS DRVSVS, Juris homo peritiſſimus, *monumenta* ad *jus civile* pertinentia condidit, teſte *Valerio Maximo* VIII, 7, 4. *Conſimilis perſeverantiæ Livius Druſus, qui ætatis viribus & acie oculorum defectus, jus civile populo benigniſſime interpretatus eſt: utilisſimaque diſcere id cupientibus monimenta compoſuit. Nam ut ſenem illum natura, cæcum fortuna facere potuit: ita neutra interpellare valuit, ne non animo & videret & vigeret.* Pater hic *Livii Druſi* fuit, quem *turbatorem plebis* vocat *Tacitus* Annal. III, 27, 3. (Conf. Flor. III, 17, 1. ſeqv. Epit. *Livii* 70. & 71. *Senec.* Conſol. ad Marciam, XVI. &c.) Ceterum inter Jureconſultos Veteres *Livium* noſtrum a *Pomponio* præteriri, (Digeſt. Lib. I. Tit. 2.) merito cum *Colero* miramur.

LONGVLANVS *Casſius Severus* Scriptor inſignis & orator temporibus Auguſti & Tiberii, laudatur a *Plinio* Lib. I. in Indice inter eos, quorum ſcriptis ſe adjutum fatetur Lib. XXXV. Dictus forte *Longulanus* (nam prænomen neſcimus) ab oppido Volſcorum haud ignobili *Longula*, cujus meminit *Livius* Dec. I. Lib. II. pag. m. 28. & 29. meminiſſe vero ſuperſedent Lexica Latina, quæ vidi, omnia, etiam Geographicum *Caroli Stephani*, (edit. Londin. 1686. in fol.) & *Cluverius* Introduct. in Geographiam Lib. III. Cap. XXVII. pag. m. 270. de Oppidis Volſcorum. Plura vide apud *Harduinum* in Indice Auctorum Plinii pag. 103.

LVCEIVS, ſive, quod alii malunt, *Luccejus*, ab *Aſconio Pediano* in Orat. Cic. contra C. Ant. citatur pag. m. 151. *Hæc Luceius quoque Catilinæ objicit*

cit in orationibus, quas in eum scripsit. Illum puto, qui res a Cicerone in Consulatu gestas & historiam belli Italici & civilis scripsit, de quo vide *Vossium* lib. I. de Hist. Lat. pag. 58, 59. Alius est *Luceius Albinus*, orator disertissimus, testimonio *Plinii* lib. III. Epist. 9. de quo vide sis *Partem II.*

LVCILIVS JVNIOR, Siciliæ procurator, temporibus *Senecæ*, quem vide Lib. IV. Quæst. Nat. Præfat. princ. pag. m. 687. Epicureus fuit, teste eodem, Epistola 23. *Possum vocem tibi Epicuri tui reddere* - . adeoque in Catalogum Epicureorum merito relatus a *Gassendo* de Vita & moribus Epicuri Lib. II. Cap. VI. pag. 48. & postea a *Fabricio* meo Biblioth. Gr. L. III. Cap. 33. pag. 812. Scripsit Carmen *de Ætna* (vid. Epist. 79.) aliaque *poemata* (v. Epist. 8. & Quæst. Nat. Lib. III. Cap. 1. & 26.) & *Epistolas* Varias ad Senecam, qui studia & Libros *Lucilii* mirifice extollit. Vide inprimis Epist. 19, 21, & 46. *Lucilium* hunc nostrum quidam *Balbum* cognominant (vide *Lipsium* ad Epistolam 53.) sed minus recte. Dicendus est Junior, quo cognomine utitur apud laudatum *Senecam* Lib. III. Qv. Nat. Cap. 1. sub init. & in Præfatione Libri IV. Reperitur & hujus *Lucilii* mentio in Epistolis, quæ Paulo & Senecæ tribuuntur, imo & Paulus ad Lucilium scripsisse, perhibetur. Vide Celeb. *Fabricii* Codicem Apocryphum Novi Testamenti pag. m. 892. & 896. edit poster. Hamb. A. 1719.

LVCILIVS BASSVS. v. supra *Bassus.*

LVCILLVS aliquis tempore Symmachi scripsit, ad quem hic Lib. VIII. Epist. 21. *Indulgere te*

otio

otio opinionis falsus putabam: tu vero animum lectione, labore corpus exerces. Hoc indicant scripta & munera tua stylo exsculpta &c. quanquam dissimulare nolumus, quod in nonnullis Symmachi editionibus nulla prorsus ἐπιγραφὴ huic epistolæ præfixa conspiciatur. Alius est *Lucillus* Tarrhæus, de quo vid. *Vossius* de H. Gr. p. 384. & *Lilius Gyraldus* Dial. X. de Poëtarum Historia p. m. 1078. ut de aliis *Lucillis* taceam.

LUCIUS CÆSAR a *Prisciano* Lib. VIII. p. m. 285. cum hoc fragmento allegatur: *Quæ res augurantur*, passive, οἰωνοσκοπῦνται. item a *Festo* in MAJOR CONSUL: Majorem Consulem *L. Cæsar putat dici vel eum, penes quem fasces sint, vel eum, qui prior factus sit*: Prætorem *autem* majorem *urbanum*, minores *ceteros*. Ego inter tot *Lucios Cæsares*, de quibus vide *Ciceronem* Lib. VII. Epist. 12. *Sextum Aurelium Victorem* de origine Gentis Romanæ pag. m. 598. (conf. *Voss.* de Hist. Lat. pag. 65) *Julium Cæsarem* de B. Gall. Lib. VII, Cap. 12. de B. Civ. Lib. I. Cap. 3. *Hirtium* de B. Afric. cap. 11. *Svetonium* in vita Cæsaris Cap. 75. *Priscianum* Lib. X. p. m. 398. (de L. Cæsare, pro quo ad populum *Cato* dixit) nihil certi definio, sed neque dubito, *Cæsarem* nostrum ad ætatem Augusti pertinere, quod huic apud laudatum *Priscianum* fragmentum (ex epistola, credo) *ad Virgilium* tribuitur Lib. cit. pag. 408. *Excucurristi a Neapoli.* ubi ἁπλῶς *Cæsar* vocatur.

LUCIUS CRASSITIUS (forte a *Crasso* ita dictus) illustris Grammaticus, *Commentarium Smyrnæ* edidit, edito ita inclaruit, ut hæc de eo scriberentur: *Uni*

Uni Crasſitio ſe credere Smyrna probavit:
Deſinite indocti conjugio hanc petere.
Soli Crasſitio ſe dixit nubere velle:
Intima cui ſoli nota ſua extiterint.

Vide *Svetonium* de Illuſtr. Gr. cap. 18. qui pluribus hujus vitam perſequitur.

T. ANNIVS LVSCVS, orator, adverſus T. Gracchum dixerat, cujus orationis fragmentum exſtat apud *Feſtum* in SATVRA: *Imperium, quod plebes* (antique pro *plebs*) *per Saturam dederat, id abrogatum eſt.* Confer de *Luſco* noſtro *Livium* Lib. XLII, Cap. 25. & XLIII, Cap. 17.

M.

MACER (BÆBIVS) v. *Bæbius.*

MALLIVS aliquis à *Macrobio* citatur Saturn. lib. I. c. 10. „Mallius ait eos, qui ſe Saturni nomine „(malo *numine*) & religione defenderant, per tridu„um feſtos inſtituiſſe dies & Saturnalia vocaviſſe: „*Unde & Auguſtus, hujus rei,* inquit, *opinionem ſe„cutus in legibus judiciariis triduo ſervari ferias „jusſit.*„ Duos equidem memini a Macrobio *Mallios* laudari, L. *Mallium*, quem *pictorem Romæ optimum* vocat Lib. II. Cap. 2. & P. *Mallium*, hoſpitem Ciceronis, ibid. cap. 3. ſed uterque a noſtro diverſus. Cognomines alios non novi præter *Mallium Chilonem*, ad quem Aureliani Imperatoris Epiſtola exſtat apud *Flavium Vopiſcum* Cap. 23. ſed & hic alius eſt.

MANILIVS aliquis a *Varrone* citatur Lib. II. Cap. 3. de Re Ruſtica: *De emtione aliter atque de ovibus*

ovibus dico, quod capras sanas sanus nemo promittit, nunquam enim sine febri sunt, itaque stipulantur paucis exceptis verbis, ac Manilius scriptum reliquit sic - &c. & cap. 7. *Emtio equina similis fere ac boum & asinorum, quod iisdem rebus dominium in emtione mutatur, ut in Manilii actionibus sunt perscripta.* Conf. Cap. 5. *Manilium* puta illum, qui temporibus Marii & Syllæ floruit, de quo videatur *Vossius* Lib. I. de Historicis Latinis cap. 9. pag. 40.

MANLIVS SVRA, Orator præclarus, temporibus Augusti & Tiberii, sæpissime a *Plinio* laudatur in iis Scriptoribus, quorum ex monumentis aliqua transtulit in Historiam suam Naturalem. Vide Lib. I. in Indice Libri VII, X, XIIX, XIX. Adde ex Libro XVIII. Cap 16. *Apud antiquos erat pabuli genus, quod Cato Ocynum* (lego *Ocymum*, ut apud *Catonem* legitur de Re R. Cap. 27, 33, 54. a Græco verbo ὠκὺς, quod valet *cito*, quæ verba sunt *Varronis* de R. R. Lib. I. Cap. 31) *vocat, quo sistebant alvum bubus. Id erat e pabulis, segete viridi desecta, antequam gelaret.* (emendatam & genuinam lectionem quære apud *Varronem* l. c.) *Sura Manlius id aliter interpretatur, & tradit fabæ modios decem, viciæ duos, tantundem erviliæ in jugero autumno misceri & seri solitum.* Meminit vero & *Quintilianus de Manlio* nostro Lib. VI. Cap. 4. *Afer* (*Domitium* puta) *venuste Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem & reponentem, non agere dixit, sed satagere* : item Lib. XI. Cap. 3. *Harduinus* in Plinio *Mamilius* legit pro *Manlius*, *sed*

absque consensu Quintiliani, cujus loca non animadvertit.

MARCVS REGVLVS, Caussidicus sub Domitiano & Trajano, homo malus & inimicissimus Viro optimo *Rustico Aruleno*, Stoico, (de quo conferri possunt *Jonsius* de Script. H. Philos. lib. III. Cap. 5. p. m. 21. *Mollerus* Homonymosc. Cap. IV. p. 381. *Vossius* de H. L. p. 155. alii) cujus morte exsultavit adeo, ut Librum recitaret, in quo *Rusticum* insectatus, *STOICORVM* eum *SIMIAM* appellavit, quæ verba sunt *Plinii Junioris* Lib. I. ep. 5. Librum *de vita filii* scripsit, teste eodem Lib. IV. epist. 7. *Ipse* (Regulus) *nuper, adhibito ingenti auditorio, Librum de vita filii recitavit: tum eundem Librum in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam provinciasque dimisit. Scripsit publice, ut a decurionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eum populo; factum est.* De moribus hujus *Reguli* v. porro *Plin.* l. cit. & Lib. II. ep. 20. L. IV. ep. 2. L. VI. ep. 2.

C. MATIVS, Eques Romanus, amicitia Augusti clarus, una cum scriptis suis a *Collumella* laudatur Lib. XII. de R. R. Cap. 44. princ. *Sequuntur vindemiam rerum autumnalium compositiones, quæ & ipsæ curam villicæ distendunt. Nec ignoro, plurima in hunc librum non esse collata, quæ C. Matius diligentissime persecutus est. Illi enim propositum fuit urbanas mensas & lauta convivia instruere. Libros tres edidit, quos inscripsit nominibus Coci, & Cetarii & salgamarii.* Quo pertinent illa *Plinii* Lib. XII. Hist. Nat. Cap. 2. *Primus Cn. Matius*

ex

ex equestri ordine, Divi Augusti amicus, invenit nemora tonsilia intra hos LXX. annos. Conf. Lib. XV. cap. 14. Alius est *Cn. Matius*, poëta, de quo videsis *Gyraldum* Dial. VIII. de Poëtarum historia pag. m. 919. seqv. *Fabricium* meum Biblioth. Gr. Lib. II. pag. 297. *Scaligerum* ad Varronem pag. 150.

MAXIMVS aliquis (forte *Messius*) præfectus Achaiæ, Scriptor præclarus, temporibus Trajani floruit, ad quem *Plinius* Lib. IV. ep. 20. *Quid senserim de singulis libris tuis, notum tibi, ut quemque perlegeram, feci. Accipe nunc, quid de universis generaliter judicem. Est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam, & cum magna tua laude diffusum.* Opus sive Libros intelligo, de quibus idem ad eundem Lib. IX. Epist. I. *Sæpe te monui, ut Libros, quos vel pro te vel in Plantam(*alii *Blateram* legunt, quod minus placet)*imo & pro te & in illum composuisti, quam maturissime emitteres.* Conf. Lib. VIII. Epist. 19. in qua Auctor *Maximo* suo se potissimum censore & emendatore operum suorum uti fatetur.

MAXIMVS alius est, & nisi fallor, poëta, ad quem *Martialis* Lib. III. Epigr. 18.

Perfrixisse tuas questa est præfatio fauces.
Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

quo pertinet forte illud Lib. IV. Epigr. 41.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus ista magis.

item aliud huic geminum lib. VI. Epigr. 41.

 Qui

Qui recitat lana fauces & colla revinctus;
Hic se posse loqui, nosse tacere negat.

Conf. lib. VII. Epigr. 62. ad *Maximum* & alibi passim.

MAXIMUS JUNIUS, historicus. Vide Partem II.

MECÆNAS quid scripserit, satis notum est ex *Gyraldi* Dialogo IV. de Poëtis Latinis & *Vossio* de Hist. Lat. pag. 105, 106. Nos in utriusque, ut & *Christophori Sandii* gratiam, qui *Vossium* adnotavit & locupletavit, Fragmentum addimus ex *Prisciano* Lib. X. pag. m. 410. *Mecænas in Octavia: Pexisti capillum naturæ muneribus gratum.* forte *Octavio* legendum. Conf. *Sveton.* in Aug. cap. 79. de *Capillo* Octavii *leniter inflexo & sufflavo.*

Q. METELLUS NUMIDICUS, insignis Orator satisque inclutus testimoniis *Ciceronis* pro Arch. poët. n. 6. & de Clar. Orat. p. m. 148. item *Velleji Paterculi* II, 9, 1. *Flori* III, 1, 12. & aliorum. Varias Orationes scripsit, ut de PROLE AUGENDA sive de DUCENDIS UXORIBUS, cujus fragmenta duo apud *Gellium* leguntur lib. I. cap. 6. (conf. *Sveton.* in Augusto Cap. 89. & *Flor.* in epitome Livii lib. LIX.) ADVERSUS C. MANLIUM. Vid. *Gell.* lib. VI. cap. 11. ubi alii C. *Mallium*, Schefferus C. *Manilium*, Pighius C. *Mamilium* legi svadent, ego vero supra positam lectionem retineo, auctoritate & auspiciis *Prisciani*, qui & ejusdem Orationis & ex ea loci cujusdam meminit, lib. VIII. p. m. 285. *Metellus Numidicus in oratione, qua apud populum C. Manlio trib. pleb. respondit: Nam ut aliis plerumque obvenienti magistratu ob metum statuæ pollicentur.*

antur. passive ἐπαγγέλλονται. DE TRIUMPHO SUO (sc. Jugurthino) Vid. *Gell.* lib. XII. cap. 9. coll. cum *Aurelio Victore* de Viris Illustr. c. 66. & *Sigonii* Commentar. in Fastos & triumphos Roman. ad annum DCXLIV. IN VALERIUM MESSALAM ACCUSATIONIS LIBROS, quorum *Tertium* una cum brevi fragmento allegat laudatus *Gellius* Lib. XV. cap. 14. & denique EPISTOLAM, ad Cn. & L. DOMITIOS, quum esset in exilio, datam, cujus duo loca servata debemus eidem Lib. XV. cap. 13. & lib. XVII Cap. 2.

METELLUS SCIPIO, Tribunus plebis Julio Cæsare & Bibulo COSS. a *Plinio* inter Scriptores suos laudatur lib. I. in Indice lib. VIII. & XXIX. Quinimo audiamus ipsum *Plinium* lib. VIII. Cap. 48. *Metellus Scipio tricliniaria Babylonica sestertium octingentis millibus venisse jam tunc, posuit in Catonis criminibus, quæ Neroni principi quadragies sestertio nuper stetere.* Scripsit nempe vehementissime adversus Catonem Uticensem, teste *Plutarcho* in Catone Minore pag. 771.

MODESTUS v. *Julius Modestus.*

MONATIVS aliquis ab *Isidoro* lib. 10. Orig. Litt. N. columm. m. 1081. cum hoc fragmento allegatur: *Hic adolescens nequam non malus*, id est, uti ille interpretatur, nugax non perniciosus. At quis, quæso, iste *Monatius*? certe legendum suspicor *Munatius*, imo *Munatium* forte *Rufum* intelligendum, de quo Scriptore meminit *Valerius Maximus* lib. 4. cap. 3. & exinde *Vossius* de H. L. pag. 23. sive L. *Munatium Plancum*, Oratorem & discipulum

 Ci-

Ciceronis, qui, cum diceretur Asinius Pollio orationes in se parare quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset, dixisse fertur, *Cum mortuis non nisi larvas luctari*, uti auctor est *Plinius* in Præfat. Hist. Nat. circa finem. Conf. *Tacit.* Annal. I. 39, 2. Alius vero est *Munatius Flaccus* apud *Plutarchum* in Catone Minore p. 770. 777. & 783.

MONTANVS VOTIENVS, toto animo Scholasticus, a *Seneca* laudatur Controv. Lib. 3. cap, 20. lib. 4. Præfat. & cap. 24, 25, 26, 27, 28. Adde & 29. ubi *Scripta Montani* memorantur, sed obscura, sed ignotissima. Alius est *Alpinus Montanus*, apud *Tacitum* Histor. III. 35, 2. IV, 31: 2. & 32, 5. V. 19, 4. alius *Julius Montanus* apud eundem Annal. XIII, 25, 3. & *Senecam* Epist. 122. p. m. 557.

MVCIANVS (*Licinius*) historicus sui temporis gravissimus fuit, cujus vitam & Scripta postquam cumulatissime illustravit diligentissimus *Vossius* de H. Lat. lib. I. Cap. XXVII. pag. 141. hoc unicum addere libet ex Dialogo de Oratoribus Cap. 37. princ. *Nescio an venerint in manus vestras hæc Vetera, quæ & antiquorum bibliothecis adhuc manent, & nunc maxime a Muciano contrahuntur: ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris, & tribus Epistolarum composita & edita sunt.*

N.

NAVCELLIVS sive NAVCELLVS, Vir eruditus, poëta eximius, amicus Symmachi, qui scripta illius poëtica & antiquaria in hunc modum collau-

laudat Lib. III. Epist. 11. *Non silebo alterum munus opusculi tui, quo prisca cujusque Reipublicæ ex libro Græco in Latinum transtulisti: Arma ab Samnitibus, insignia a Tuscis, leges de lare Lycurgi & Solonis sumseramus. Tuus nobis posthac addidit labor peregrina monumenta, quæ jam sui nesciunt. Nunc vere civitas nostra populorum omnium parens facta est; docere potest singulos antiquitates suorum. Ipsa vero pars materiæ digna laudari, quanto verborum stellatur auro? Nescias cultu an rebus magis voluminis honor gaudeat.* Adde ex Epistola 13. ad Naucellium: *Dum carmina tua ruminas, dum epigrammata oblatis lucis aut amnibus componis, fallitur doctis cogitationibus sensus laboris.* Editionem Symmachi sequor *Pareanam* Francof. 1642. 8. quod minime dissimulandum putavi, cum *Jacobus Lectius* in sua Genevensi 1587. *Juliano* citatas epistolas inscribit, non *Naucello*, quanquam & *Naucelli* nomen agnoscit Epist. 16.

NIGER SEXTIVS, Gente Romanus, Græce de *Medicina* scripsit, teste *Plinio* Lib. I. in Indice H. Nat. Lib. 12, 13, 14, 15, 16. seqv. In plerisque editionibus *Sestius* scribitur & *Sextius* promiscue, quasi nulla inter utramque gentem differentia intercedat, de qua copiosius jam olim disseruit V. C. *Carolus Sigonius* Lib. I. Emendat. Cap. XVIII. pag. 190, 191. Tom. II. Thesaur. Gruter. Ceterum accipiamus, quæ ex Nigro nostro tradit laudatus *Plinius* Lib. XVI. Cap. 10. sub fin. *Hanc* (taxum) *Sextius Smilacem a Græcis vocari dixit, & esse in Arcadia tam præsentis veneni, ut, qui obdormi-*

ant sub ea, cibumve capiant, moriantur. item Lib. XXVIII. Cap. 8. *Sextius plus quam drachmæ pondere in vini hemina potum, perniciem afferre tradit; præterea ejusdem decocti jus cum melle sumtum, Venerem inhibere.* & Lib. XXIX. Cap. 4. *Sextius Venerem accendi cibo earum* (Salamandrarum) *si detractis interaneis & pedibꝰ & capite in melle serventur, tradit, negatque restingui ignem ab iis.* nec non Lib. XXXII. cap. 3. sub. init. *Amputari hos* (testes) *ab ipsis* (castoribus) *cum capiantur, negat Sextius diligentissimus medicinæ* &c. quod elogium Plinianum errores illos prorsus diluere videtur, quos in herbis explicandis *Sextio* tribuit *Dioscorides* in Præfatione. Citatur & *Sextius* noster a *Plinio Valeriano* IV, 5. De Q. *Sextio* vid. infr. quem patrem Nigri nostri fuisse conjicio.

NIGER TREBIVS. v. *Trebius.*

NIMIVS CASSIVS, Vetus poëta, *Iliadem* Homeri Latino Carmine reddidit (sicut & *Accius Labeo*, teste Veteri Scholiaste ad Persium Sat. I. v. 50. nec non *Cnejus Mattius*, v. *Gell.* Lib. VI. c. 6. lib. IX. c. 14. *Diomedem, Charisium*, alios) cujus ex libro XXIII. sequentem versiculum affert *Priscianus* Lib. IX. pag. m. 368.

Nam non connivi oculos ego deinde sopore.

MS. *Putschii* Codex pro *Nimius Cassius* legit *Ninnius Crassus*; v. *Fabricii* mei Bibliothec. Græc. Lib. II. Cap. III. pag. 297.

NISVS aliquis a *Prisciano* citatur Lib. X. pag. m. 385. *Ungo quidem Nisus & Papyrianus & Probus tam ungui quam unxi dicunt facere præteritum;*

ex

ex quibus Grammaticum eum fuisse vides. Reliquit et *Commentarios fastorum*, quorum testimonio utitur *Macrobius* Saturnal. Lib. I. c. 12. *Adeo ut, sicut Nisus in commentariis fastorum dicit, apud majores quoque nostros hæc appellatio mensis* (Junonii) *diu manserit: sed post detritis quibusdam litteris ex Junonio Junius dictus sit* &c. Adde ex *Donato* in vita Virgilii pag. m. 4. *Nisus Grammaticus audisse se a Senioribus ajebat, Varium duorum librorum* (Æneid. Virgilii) *ordinem commutasse, &, qui nunc secundus sit, in tertium locum transtulisse &c.*

NVMA POMPILIVS quid scripserit satis notum est ex istis *Plinii* Lib. XIII. cap. 13. *Cassius Hemina quarto Annalium libro prodidit, Cn. Terentium Scribam agrum suum in Janiculo repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset. In eadem libros ejus repertos -- Et libros citratos* (ita legit *Harduinus* ex MS. Reg. Paris. Tolet. alii *cedratos*) *fuisse, propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant philosophiæ Pythagoricæ. Eosque combustos a Q. Pætilio prætore, quia philosophiæ scripta essent.* (conf. Notas ad Quæstiones nostras Romanas pag. 257.) *Hoc idem tradit L. Piso Censorius primo commentariorum: sed libros septem juris Pontificii, totidemque Pythagoricos fuisse: Tuditanus decimo tertio, Numæ decretorum fuisse: ipse Varro Humanarum antiquitatum Sexto, Antias secundo, duos pontificales Latinos, totidem Græcos, præcepta philosophiæ continentes.* Quin immo ex Pontificalibus Numæ libris ecce memorabile & hactenus reconditum fragmen-

F 5 gmen-

gmentum apud *Fulgentium* de Prisco Sermone Num. 14. *Varro in Pontificalibus ait, Tutulos sacerdotes dici brevium deorum. Numa vero Pompilius, & ipse de Pontificalibus scribens, Tutulum dici ait pallium, quo Sacerdotes caput tectabant, cum ad sacrificium accesissent.* Pro *brevium deorum* quid legendum sit, (nam depravatum locum esse nemo dubitare potest) diu deliberavi, miratus simul, hanc lectionem neque a *Scaligero* neque *Mercero* aut aliis adnotatam. Tandem quid reponi commode possit nihil inveni, nisi *larium deorum*, de quo judicent sapientiores.

O.

Q. OCTAVIVS AVITVS (sive, ut alii legunt, *Attius*) Grammaticus, uti videtur, *Octo volumina* Ὁμοιοτελεύτων scripsit, quæ quos unde versus transtulerit Virgilius, continent, teste *Donato* in vita Virgilii pag. m. 4. Nomen de reliquo obscurissimum.

OCTAVIVS RVFVS poëta insignis sub Trajano floruit, clarus inprimis Epistolis *Plinii*, in quibus hic *Carminum* illius copiam nunc sibi nunc omnibus fieri postulat, ut Lib. I. ep. 7. n. 5. *Cur non usquequaque Homericis versibus agam tecum? quatenus tu me tuis agere non pateris: quorum tanta cupiditate ardeo, ut videar mihi hac sola mercede posse corrumpi, ut vel contra Bæticos adsim.* item Lib. II. ep. 10. *Hominem te patientem vel potius durum ac pene crudelem, qui tam insignes libros tamdiu teneas! Quousque & tibi & nobis invidebis?*

tibi

tibi, maximam laudem, nobis, voluptatem. Sine per ora hominum ferantur, iisdemque, quibus Lingua Romana, spatiis pervagentur - Enotuerunt quidam tui versus & invito te claustra tua fregerunt. Quo pertinet, nisi fallor, Censura auctoris Lib. IX. Ep. 38. *Ego vero Rufum nostrum laudo; non quia tu, ut ita facerem, petiisti, sed quia est ille dignissimus. Legi enim librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiæ amor ipsius adjecit.*

OPPIANVS, poëta sub Domitiano, obscuri, ut videtur, nominis, de quo *Martialis* Lib. VII. Epigramm. 3.

Esset, Castrice, cum mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

Conf. Lib. VI. Epigr. 42. & Lib. VIII. Epigr. 25. Alius est *Oppianus*, poëta Græcus sub M. Antonino apud *Suidam* p. m. 671. de quo *Gyraldus* Dial. IV. de Poëtis p. m. 550. seqv.

ORBILIVS, Grammaticus Vetus, cum hoc fragmento allegatur a *Prisciano* Lib. VIII. p. m. 285. *Quæ vix ab hominibus consequi*(παθητικῶς) *possunt.* Conf. *Suetonius*, qui Lib. de Illustr. Gramm. Cap. 9. Vitam & Scripta *Orbilii* nostri justo ordine persequitur, quo & pertinent sequentia ex Orbilio Cap. 4. ibidem: *Sunt, qui* literatum *a* literatore *distinguant, ut Græci Grammaticum a Grammatista, & illum quidem absolute hunc mediocriter doctum existiment, quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Nam apud majores, ait, cum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem literatum, in titulo, sed literatorem inscribi soli-*

ſolitum eſſe, quaſi non perfectum literis, ſed imbutum. Conf. *Gulielmi Ranchini* Var. Lect. Lib. I. Cap. IV. pag. m. 9, 10. De filio *Orbilio*, itidem Profeſſore, nihil conſtat.

OTHO JVNIVS. *Seneca* Controv. Lib. II. Cap. 9. *Otho Junius pater ſolebat difficiles controverſias belle dicere - Edidit quidem quatuor libros colorum, quos belle Gallio noſter Antiphontis libros vocabat.* Conf. Excerpta Controv. Lib. II. Declam. 1. & Lib. IV. Controv. 8. Adde ex *Tacito* Annal. III. 66. 4. *Junio Othoni literarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Seiani potentia Senator, obſcura initia impudentibus auſis propellebat.* Conf. VI. 47, 2.

P.

PALFVRIVS SVRA, eloquentiæ & poëticæ laude conſpicuus, memoratur *Juvenali* Sat. IV. v. 53.

Si quid Palfurio, ſi credimus Armiliato,
Quicquid conſpicuum pulchrumque eſt æquore toto,
Res fiſci eſt, ubicunque natat -

ad quem locum Vetus Scholiaſtes: *Palfurius Conſularis filius, in agone cum Virgine Lacedæmonia ſub Nerone luctatus eſt. Poſt inde a Veſpaſiano Senatu motus tranſivit ad Stoicam ſectam, in qua cum prævaleret & eloquentia & artis poeticæ gloria, abuſus familiaritate Domitiani, acerbiſſime partes delationis exercuit; quo interfecto Senatu accuſante damnatus eſt.* Adde hunc *Palfurium* noſtrum Stoicis iis, quorum Cata-

Catalogum habes apud Celeberrimum *Fabricium* meum Lib. III. Biblioth. Gr. Cap. 15. Conf. porro *Suetonius* in Domitiano cap. 13. & *Martialis* Lib. I. Epigr. 50. ſub finem.

PALLADIUS aliquis, rhetor clariſſimus temporibus Theodoſii &c. *Declamationes* ſcripſit, quarum unam prædicat *Symmachus* Lib. I. Epiſt. 15. ad Auſonium: *Pene evenerat, ut tecum ſuccincta brevitate loqueremur, quoniam deerant digna memoratu - Sed tempeſtive Palladii Rhetoris noſtri declamatio auxit paginam. Ea complacita ſummatibus litterarum clam te eſſe non debuit.* &c. &c. Palladii hujus eruditionem & facundiam Idem ſæpius collaudat, ut Epiſt. 94. ibid. *Si fratrem meum Palladium ſpectatum bonis omnibus facundiæ atque eruditionis adſtipuler.* & Lib. III. Epiſt. 50. *Si quid præterea ſcitu opus eſt, meus Palladius indicabit, quem ego non minus doleo abductum a Juventute Romana, quam gratulor in ſpem ſui honoris accitum.* Conf. Lib. IX. Epiſtola I. ad *Palladium*, ex qua prope eſt ut concludam, Palladium noſtrum eum eſſe, qui Conſul cum Theodoſio fuit, (vid. *Caſſiodor*. Chron p. m. 696) de quo ſæpiuſcule meminit *Ammianus Marcellinus*, inprimis Lib. XXIX. p. m. 530-534. Addo denique teſtimonium *Sidonii Apollinaris* Lib. V. Epiſt. 10. ad Sapaudum: *Sane ne videar tibi ſub hoc quaſi hyperbolico rhetorum catalogo blanditus quippiam gratificatusque, ſolam tibi acrimoniam Quintiliani, pompamque Palladii* (i. e. facundiam. v. Lib. IV, Ep. 17.) *comparari non ambigo.* Sed neque prætereundum illud *Jo. Sariſ-*

beri-

beriensis Lib. III. Metalogici Cap. X. *Est autem, ut ait Palladius, magna pars prudentiæ, ejus, cum quo agitur, æstimare personam.* De aliis *Palladiis* vide *Fabric.* Bibl. Gr. Lib. V. Cap. 32. pag. 10 - 14.

PASSIENVS CRISPVS. v. *Crispus.*

PATERNVS aliquis a *Vegetio* laudatur Lib. I. Cap. 8. *Hæc necessitas compulit evolutis auctoribus, ea me in hoc opusculo fidelissime dicere, quæ Cato ille Censorius de disciplina militari scripsit, quæ Cornelius Celsus, quæ Frontinus perstringenda duxerunt, quæ Paternus diligentissimus juris militaris assertor in Libros redegit.* ad quod nomen *Stevvechius* in Notis pag. m. 35. „Huic Terrunteni Paterni nomen reddo. Nam & index JCtorum Pandectis Pisarris præfixus Ταῤῥύντηνον Πάτερνον „appellat, & iisdem libris inscriptiones legum. Hu„jus Paterni etiamnum fragmenta reperio l. 7. & „secundum libros quosdam in l. 15. falso Papinia„no adscripta ff. de re militari. Aliud ejusdem „quoque fragmentum reperi l. 12. ff. dicto tit. & l. „ult. ff de jure immunitatis. Paternum hunc vixis„se observo sub Imp. Commodo Antonino, & præ„fectum prætorio fuisse. &c.„ Hactenus *Stevvechius* satis erudite. Ceterum & alii *Paterni* illustres sunt apud Romanos, ut *Plinius Paternus*, ad quem epistola XXI. Plinii Junioris exstat Lib I. forte, qui sub Hadriano Consul fuit cum Torquato (v. *Cassiod.* Chron. p. m. 691) & in quem *Martialis* lib. XII. Epigr. 53.

Numi cum tibi sint opesque tantæ,
Quantas civis habet, Paterne, rarus,
Largiris nihil.

Ta-

Taceo *Paternum* Consulem sub Alexandro Mammææ filio, una cum Maximo, & alios sub Valeriano & Gallieno, Aureliano, Tacito & Theodosio, de quibus vide laudatum *Cassiodorum*. Verum ab his nihil memoriæ proditum scimus.

PERELLIVS FAVSTINVS. v. *Faustinus*.

PISO CALPVRNIVS. v. *Calpurnius*.

ANNEVS PLACIDVS a *Servio* laudatur ad illud *Virgilii* Lib. I. Æn. v. 45.

Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei?

Verba sive Notæ Servii sunt: *Dicitur Minerva tantum ob vitiatam Cassandram in templo suo, solius Ajacis pœna non fuisse contenta, ut postea per oraculum de ejus regno quotannis unam nobilem puellam jusserit Ilium sibi ad sacrificium mitti; & quod est majus, de ea tribu, de qua Ajax fuerat, sicut Anneus Placidus refert.* Ita ex Fuldensi Codice MSto nonnulli legunt, pro *Ennius*, quod receptum erat, & forte emendatius, ita ut hæc de Ajace traditio ad *sacram Ennii Historiam* pertineat, de qua diximus in *Idea* nostra *Historiæ Litterariæ Romanorum* p. 243. sq.

L. PLOTIVS GALLVS, Rhetor Romanus temporibus Ciceronis, primus omnium laudatur *Svetonio* de Claris Rhetoribus cap. 2. quem sequutus est *Hieronymus* in Chron Eusebii. Qui quidem quid scripserit, uterque commemorare supersedet. Ego vero *de Gestu* (sc. Oratorio) eum scripsisse video ex *Quintiliano* lib. XI. Cap. 3. p.m. 671. *Idque ut fiat, qui de gestu scripserunt circa illa tempora Plotius Nigidiusque præcipiunt.* Meminit & hujus

hujus rhetoris *Varro* apud *Nonium* Cap. 2. num. 85. *Vinicius meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit.* Alius eſt *Plotius* apud *Ciceronem* Lib. XIII. ad Att. Epiſt. 45. Taceo *Firmum, Griphum*, Legatum illum Pompeji &c. *Plotios*, de quibus *Livius, Tacitus*, alii.

POMPEIVS MESSALINVS, Grammaticus, credo, aut rhetor, *de numeris & pedibus Oratorum* ſcripſit, cujus duo fragmenta reliquit *Rufinus* de Metris Comicis pag. m. 912. *Cicero ſpondeum inciſis idoneum putat, qui (ut ait) paucitatem pedum gravitate ſua & tarditate compenſat* - &c. item *de Salluſtiana compoſitione ſive numero & ſtructura* ibidem: *Nunc ſi videatur, Salluſtianæ periodi numeros inſpiciamus* &c. &c. Alius eſt *Pompejus*, prænomine *Quintus*, cujus locum poſteritati ſervavit *Priſcianus* Lib. VIII. pag. 287. *Me miſerum, quem mille fœminæ deſpicari auſæ ſunt.* Intellige mecum vel *Q. Pompejum Rufum*, Syllæ e filia Nepotem, vel Q. *Pompejum* Bithynicum, utrumque Oratorem eloquentiſſimum.

POMPILLVS, poëta ſub Domitiano, cujus verſibus jam pridem evenit, quod prædixerat Martialis lib. VI. Epigr. 60.

Rem factam Pompillus habet, Fauſtine legetur,
Et nomen toto ſparget in orbe ſuum.
Sic leve flavorum valeat genus Uſipiorum,
Quisquis & Auſonium non amat imperium.

Conf. ſeqv. ibidem.

PRISCVS aliquis, Vir eruditiſſimus, ſub Trajano *de Conviviis* ſcripſit, teſte *Martiali* lib. IX. Epigr. 79. Quod

Quod optimum sit disputat Convivium
Facunda Prisci pagina:
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore. &c.

Conf. Lib. X. Epigr. 3. Lib. XII. præfat. item Epigr. 1, 4, 14. & 94. *Neratius* hic forte *Priscus* intelligitur, Juris consultissimus, qui plurimum gratia & auctoritate apud Trajanum valuisse traditur, de quo vide *Pandectas* passim & *Spartianum* semel in Hadriano Cap. 18. Certe omnino is esse mihi videtur, ad quem *Plinius* sæpissime scripsit, nec mea me conjectura, credo, fallit, cum penitius inspexero Epistolam XXI. ad *Priscum* Lib. III, quæ ita incipit: *Audio Valerium Martialem decessisse & moleste fero.* conf. seqv. & Lib. II. Epist. 13. Lib. VII. Ep. 7, 8, 14. præcipue vero Lib. VI. Ep. 15. in qua *Priscus* Plinii *interesse officiis, adhiberi consiliis, atque etiam Jus civile publice respondere* dicitur, quod in *Neratium Priscum* apposite cadit. Alius est apud eundem *Marius Priscus* Lib. II. Ep. 11. & 12. alius *Stilonius Priscus*, Lib. III. Ep. 9. ut alios taceam.

PROCVLVS, poëta, temporibus Trajani floruit, cujus ingenium & venam haud proletariam cognoscis ex ista *Plinii* censura Lib. III. Epist. 15. *Petis, ut libellos tuos in secessu legam examinemque, an editione sint digni - adjicis, M. Tullium mira benignitate poëtarum ingenia fovisse - Faciam, quod desideras - Videor autem jam nunc posse rescribere, esse opus pulchrum, nec supprimendum* - &c. Alius est *Proculus*, itidem poëta, de quo *Ausonius* ad libellum suum Epigr. 33.

Irascor Proculo: cujus facundia tanta est,
Quantus honor. Scripsit plurima quæ cohibet.
Hunc studeo ulcisci: & promta est hæc ultio vati:
Qui sua non edit carmina, nostra legat.

Conf. seqv. & Epigramma penultimum pag. m. 36. De aliis porro *Proculis* poëtis vide *Gyraldum.*

R.

C. RABIRIVS, de quo vid. *Vossius* de H. L. p. 111. *Gyraldus* de Poëtis p. m. 503. alii, idem forte est, quem rei Medicæ Scriptorem allegat *Plinius* Lib. XXVIII. Cap. 7. *Alvum etiam sistit potum* (lac muliebre) *ut Rabirius scribit, & menses ciet.*

M. REGVLVS. v. *Marcus Regulus.*

RVBELLIVS BLANDVS, historicus, a *Servio* citatur in notis ad Virgil. (Georg. I, v. 103.) pag. m. 71. *Sane Rubellius Blandus & Quadrigarius historici, dicunt Gargarum flumen vocari in finibus Thurinis* - &c. Alius est *Blandus*, credo, eques Romanus & præceptor Fabiani philosophi, qui rhetoricam professus sæpiuscule a Seneca Rhetore in Controversiis laudatur. Vid. Lib. II. Cap. 8, 9, 11, 13, 14. & Lib. III. Cap. 17.

RVBRENVS v. *Lappa Rubrenus.*

RVTILIVS aliquis, qui *de modo ædificiorum* scripsit, laudatur *Svetonio* in vita Augusti Cap. 89. *Etiam libros totos & Senatui recitavit, & populo notos per edictum sæpe fecit: ut Orationes Q. Metelli De prole augenda* (v. supr. METELLVS) *& Rutilii De modo ædificiorum*, &c. Confer Notas *Torrentii* & *Casauboni* de *Rutilio* nostro quibus quod adjiciam, nihil prorsus me habere fateor.

S.

S.

SABINVS TYRO, ſub Auguſto Librum Χηπȣρικῶν ſive *Rerum hortenſium* ſcripſit, Mecænati dicatum, teſte *Plinio* H. N. Lib. XIX. Cap. 10. ſicut *Ceſennius*, *Caſtritius Firmus* &c. quos profitetur laudatus Plinius Lib. I. Conſ. Ind. Lib. VI. & XIIX. Taceo *Sabinos* alios, poëtam illum ſub Auguſto, item *Maſſurium*, *Aulum*, *Cœbium*, de quibus alii meminerunt.

SARDVS, incerti argumenti Scriptor ſub Trajano, (oratorii, ut videtur) amicus *Plinii*, qui Lib. IX. ad illum Epiſt. 31. *Poſtquam a te receſſi, non minus tecum, quam quum apud te fui. Legi enim librum tuum, identidem repetens, ea maxime, quæ de me ſcripſiſti. In quibus quidem percopioſus fuiſti. Quam multa, quam varia, quam non eadem de eodem, nec tamen diverſa, dixiſti?*

SASERNÆ duo, pater & filius de Re Ruſtica diligentiſſime apud Romanos poſt *Catonem* ſcripſerunt, teſte *Columella* Lib. I. Cap. 1. *Ut agricolationem Romana tandem civitate donemus, jam nunc M. Catonem Cenſorium illum memoremus, qui eam Latine loqui primus inſtituit. Poſt hunc duos Saſernas patrem & filium; qui eam diligentius erudierunt* - adde præcedentia ibidem: *Multos memorabiles auctores comperi perſvaſum habere, longo ævi ſitu qualitatem cœli ſtatumque mutari, eorumque conſultiſſimum aſtrologiæ profeſſorem Hipparchum prodidiſſe, tempus fore, quo cardines mundi loco moveren-*

verentur, idque etiam non ſpernendus autor rei ruſticæ Saſerna (pater, credo,*) videtur adcrediſſe. Nam eo libro, quem de agricultura ſcriptum reliquit mutatum cœli ſtatum ſic colligit, quod, quæ regiones antea propter hiemis aſſiduam violentiam nullam ſtirpem vitis aut oleæ depoſitam cuſtodire potuerint, nunc mitigato jam & intepeſcente priſtino frigore largiſſimis olivitatibus, liberique vindemiis exuberent.* Conf. Lib. III. Cap. 3, 12, 17. & Lib. IV. Cap. II. nec non *Varro* de R.R. Lib. I. Cap. 2, 3, 18, 19. &c. & Lib. II. cap. 9. De *Ratione Arbuſtorum* Saſernæ noſtri a *Plinio* citantur Lib. XVII. Cap. 23. Conf. Lib. I. in Indice Lib. XI. Pro *Saſernæ* nonnullæ editiones Plinii legunt *Sarſenæ* aut *Sarſennæ*; priorem vero ſcripturam luculenter confirmant nummi veteres gentis Hoſtiliæ, ex qua ii prodierunt: quos nummos *Patinus* exhibet L. de famil. Rom. p. 123. Verbis utor *Harduini* in Indice Auctorum Plinii pag. 128.

CL. SATVRNINVS v. *Claudius.*

L. SAVFEIVS a *Servio* citatur ad Virgilii Æneid. Lib. I. v. 10. pag. m. 21. *Saufeius Latium dictum ait, quod ibi latuerunt incolæ, qui quoniam in cavis montium vel occultis, caventes ſibi a feris belluis, vel a valentioribus vel a tempeſtatibus habitaverint, Caſſei vocati ſunt, quos poſteri Aborigenes nominaverunt, quoniam ab iis ortos eſſe recognoſcebant, ex quibus Latinos etiam dictos.* Plura de *Saufeio* noſtro Epicureo (vide *Gaſſendum* de vita & moribus Epicuri Lib. II. Cap. VI. pag. 44) quære apud *Cornelium Nepotem* in vita Attici Cap. XII.

num.

num. 5. & *Ciceronem* Lib. I. ad Atticum Epift. 2, & 7. Lib. II. Epift. 8. Lib. IV. Ep. 6. Lib. VII. Epift. 1. princ.

Q. SCÆVOLA (forte Q. ille *Mucius Scæuola*, quem *Jurisperitorum eloquentiſſimum* vocat *Tullius* & poſt eum *Vellejus Paterculus* II. 9, 2. conf. Cap. 26. n. 2) allegatur a *Tito Probo* de Nominibus Impoſitivis pag. m. 1398. *Pueris non prius, quam togam virilem ſumerent, puellis non ante, quam nuberent, prænomina imponi moris fuiſſe, Quintus Scævola auctor eſt.* Videtur & *amatoria* ſive laſciviores verſus ſcripſiſſe, quod *Plinius* Junior reprehenſus a nonnullis ob verſiculos, *parum*, ut ipſe vocat, *ſeveros*, Quinti Scævolæ exemplo ſe & auctoritate tuetur. Verba *Plinii* ſunt Lib. V. Epiſt. 3. n. 3. *Ego verear, ne me non ſatis deceat, quod decuit M. Tullium, Cajum Calvum - Q. Scævolam?* Conf. præced. ibid. item *Varro* de L. Lat. pag. m. 6, 22, 50, 80, 82. Prætereo alia ad vitam & litterariam Scævolæ noſtri hiſtoriam pertinentia, quæ alii litteris tradiderunt. Prætereo porro alios *Scævolas*, qui cum noſtro confundi poſſunt, de quibus vid. *Jo. Molleri* V. C. Homonymoſcop. pag. 404, 405.

L. METELLVS SCIPIO. v. *Metellus*.

CN. TREMELLIVS SCROFA, Scriptor peritiſſimus *rerum ruſticarum*, ævo *Varronis* vixit, qui Lib. II. de R. R. Cap. 2. *Scrofa noſter*, inquit, *cui hæc ætas defert rerum ruſticarum omnium palmam.* item Lib. I. Cap. 2. *Video huc venire Cn. Tremellium Scrofam Virum omnibus virtutibus politum, qui de agricultura Romanus peritiſſimus exiſtima-*

G 3 tur.

tur. Rem rusticam primus eloquentissime latinis litteris illustravit teste *Columella* Lib. I. Cap. 1. & Lib. II. Cap. 1. sub initium, apud quem & varia hujus præceptorum sententiarumque fragmenta leguntur, ut Lib. I. Cap. 1. *Tremellius id ipsum excusat, quod Italiæ & Africæ solum cælumque diversæ naturæ, nequeat eosdem proventus habere.* conf. præced. Lib. II. cap. 8. *Tremellius quidem asseverat, priusquam impluerit,* (ita omnino legendum pro *impleverit) ab avibus aut formicis sata edi, ubi æstivis serenitatibus ager aret.* & Cap. 10. *Jugerum agri, ut Tremellio, quatuor, ut nobis videtur, fabæ sex occupant modii, si solum pingve sit: si mediocre, paulo amplius.* Lib. III. Cap. 3. *De arbusto inter autores non exigua pugna fuit, abnuente Saserna genus id ruris, Tremellio maxime probante.* Conf. Cap. 11. & 12. nec non *Cicero* ad Atticum Lib. V. epist. 4. & Lib. VII. ep. 1. Taceo locum *Plinii* Lib. XVII. H. N. Cap. 23. princ. *Sequitur arbusti ratio, mirum in modum damnata Sasernæ patri filioque, celebrata Scrofæ, vetustissimis post Catonem peritissimisque: ac ne a Scrofa quidem nisi Italiæ concessa.* De Origine nominis *Scrofæ* non convenit inter *Varronem* & *Macrobium*, quorum ille Lib. II. de Re R. Cap. 4. sub init. *Tremellium* ita loquentem introducit: *Ignorare videris, cur appeller Scrofa: Avus meus primum appellatus est Scrofa, qui quæstor cum esset, Licinio Nerva prætore, in Macedonia provincia relictus, qui præesset exercitui, dum prætor rediret, hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ, impressionem facere cæperunt in castra. Avus,*

vus, cum hortaretur, ut caperent arma ac exirent contra, dixit celeriter se illos (ut Scrofa porcos) disjecturum; idque fecit: nam eo prælio hostes ita fudit ac fugavit, ut eo Nerva prætor imperator sit appellatus, & avus cognomen invenerit, ut diceretur Scrofa. Hic vero, nescio quem autorem seqvutus, Lib. I. Sat. Cap. 6. extr. *Tremellius*, inquit, *Scrofa cognominatus est eventu tali* - Reliqua quære apud auctorem.

SEBOSVS STATIVS. v. *Statius.*

SECVNDINVS, poëta illustris sub Anthemio Imperatore seculo quinto floruit, clarus imprimis testimonio illo *Sidonii* lib. II. Epist. 10. *Namque ab hexametris eminentium poetarum Constantii* (de quo vide *Isidorum* de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. IV. pag. m. 50. & *Auberti Miræi* Auctarium §. CIII. p. m. 21.) *& Secundini vicinantia altari Basilicæ latera clarescunt* - & altero Lib. V. Epist. 8. ad *Secundinum* princ. *Diu quidem est, quod te hexametris familiarius inservientem stupentes prædicantesque lectitabamus. Erat siquidem materia jocunda, seu nuptiales tibi thalamorum faces, sive perfossæ regiis ictibus feræ describerentur. Sed triplicibus trochæis nuper in metrum hendecasyllabum compaginatis nihil ne tuo quidem judicio simile fecisti.* Conf. seqv.

SEPTICIANVS aliquis (forte poëta) sub Trajano *quinque Libros* (incertum cujus argumenti) scripsit, ad quem *Martialis* Lib. XI. Epigr. 108.

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum
Et quasi perfectum, Septiciane, refers.

Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

SEPTIMIVS aliquis, qui *Libros Observationum* (eheu! deperditos) edidit, laudatur a *Quintiliano* Lib. IV. Inst. Orat. Cap. 1. pag. m. 204. incertum, *Pub. Septimius*, qui duo Volumina *de Architectura* scripsisse perhibetur a *Vitruvio* in Præfatione Libri VII. an *Septimius*, cui se tres priores Libros de Lingua Latina misisse testatur *Varro* sub initium Libri Quarti, an alius quispiam.

SERGIVS FLAVIVS, rhetor sine dubio, quid scripserit, juxta cum illis scio, qui nesciunt. Meminit hujus auctoris *Quintilianus* Lib. VIII. cap. 3. *Multa ex Græco formata nova, ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut* ENS & ESSENTIA. Idem, credo, *Sergius* est, de quo *Apulejus* Lib. III. de philos. Rationali p. m. 404. *Quam vocat Sergius* EFFATVM, *Varro* PROLOQVIVM, *Cicero* ENVNCIATVM, *Græci* PROTASIN, *tum* AXIOMA. Conf. *Gell.* Lib. XVI. cap. 8.

SERGIVS PAVLVS Scriptor antiquus, a *Plinio* laudatur Lib. I. Hist. Nat. in Indice Lib. II. & XIIX. cetera obscurus.

SERRANVS (*Attilius*) nobilis poëta, sub Domitiano floruit, cujus paupertatis testem habemus *Juvenalem* Sat. VII. v. 80.

Contentus fama jaceat Lucanus in hortis,
Marmoreis: at Serrano, tenuique Salejo,
Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantum
est?

Conf.

Conf. Notas Scholiaſt. Vet. ibid. Alius eſt *Attilius* apud *Plinium* Lib. I. Epiſt. 9. n. 8. II. 14, 2. VI. 8, 1. & 8. item 25, 1. Alius eſt & multo antiquior *Attilius Serranus*, triumvir, apud *Livium*, alios.

SERVIVS CLAVDIVS ſive CLODIVS *Commentarium* ſcripſit, ex qua ſequentia refert *Gellius* Lib. XIII. cap. 21. *In commentario quodam Servii Claudii ſcriptum invenimus*, NERIO *dictum quaſi* NEIRIO, *hoc eſt, ſine ira & cum placiditate, ut eo nomine mitem tranquillumque fieri Martem precemur.* Intelligo *Claudium* illum, cujus meminit *Svetonius* de Illuſtr. Gr. Cap. 2. in hunc modum: *Inſtruxerunt auxeruntque ab omni parte Grammaticam L. Ælius Lanuvinus, gener Quinti Ælii* (vel uti emendatius legi jubet L. *Carrio* Antiqu. Lect. I. Cap. VIII. pag. m. 11. *Generque Ælii*) *Servius Claudius, uterque eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in Rep. uſus.* Prætereo denique loca *Ciceronis* Lib. I. Epiſtola XVIII. ad Atticum: *L. Papirius Pætus, Vir bonus amatorque noſtri mihi libros eos, quos Servius Claudius reliquit, donavit.* nec non L. IX. Famil. ep. 16. *Ut Servius frater tuus, quem litteratiſſimum fuiſſe judico, facile diceret, hic verſus Plauti non eſt, hic eſt; quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum & conſuetudine legendi.*

SEXTIVS NIGER, v. *Niger*.

Q. SEXTIVS, *Romanus Sapientiæ aſſectator*, (verbis utor *Plinii* Lib. XIIX. cap. 28.) Præceptiones Philoſophicas diſciplinæ Stoicæ, Græca Lingua ſcripſit, de quo *Seneca* Epiſt. 59. *Sextium ecce cum*

maxime lego, Virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philosophantem - &c. item Ep. 64. *Lectus est deinde liber Q. Sextii patris* (cujus filium fuisse *Sextium Nigrum* auguror, de quo superius dixi, itidem homine Romano Scriptore Græco) *magni, siquid mihi credis, Viri, & licet negent, Stoici - Cum legeris Sextium, dices: Vivit, viget, liber est - In quacunque positione mentis sim, cum lego hunc (fatebor tibi) libet omnes casus provocare - Hoc quoque egregium Sextius habet, quod & ostendet tibi beatæ vitæ magnitudinem, & desperationem ejus non faciet.* Nec non Epist. 73. *Solebat Sextius dicere, Jovem plus non posse, quam bonum Virum.* & Lib. II. de Ira Cap. 36. princ. *Quibusdam, ut ait Sextius, iratis, profuit aspexisse speculum* &c. Hactenus philosophumena nonnulla *Sextii*, quo & pertinet, quod *animalibus abstinuerit, credens* scilicet, *homini satis alimentorum citra sanguinem esse, & crudelitatis consuetudinem fieri, ubi in voluptatem esset adducta laceratio* - &c. quæ verba sunt ejusdem auctoris Ep. 108. Ceterum ut vitæ tempus & historiam philosophiæ *Sextii* brevi attingamus, vixit sub Julio Cæsare, teste eodem Ep. 98. *Honores repulit pater Sextius, qui ita natus, ut remp. deberet capessere, latum clavum divo Julio dante, non recepit.* Vixit porro tam religiose, ut *consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? qua parte melior es?* Vid. Lib. III. de Ira Cap. 36. Denique exordium exodiumque hujus philosophiæ cognoscis ex Libro VII. Quæst. Nat.

Nat. Cap. ult. *Sextiorum nova* (sc. Stoico-Pythagorica) *& Romani roboris secta, inter initia sua, cum magno impetu cœpisset, exstincta est.* Taceo illud *Svetonii* de Illustr. Gramm. cap. 18. *Lucius Crassitius - dimissa repente Schola transiit ad Quinti Sextii* (ita legi jubent Codices Pithœi & Petavii pro vulgato *Septimii*, & me judice satis emendate) *philosophi sectam.* Conf. quæ ex *Galeo* de Sextio nostro affert *Fabricius* meus Bibl. Gr. Lib. III, c. 14. pag. 411.

SEXTVS aliquis, poëta obscurissimus, vixit sub Domitiano & Trajano, ad quem *Martialis* Lib. X. Epigr. 21.

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, juvat?
Non lectore tuis opus est sed Apolline libris,
Judice te major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & sine Grammaticis.

SINNIVS vel SISINNIVS CAPITO (ita vocatur *Hieronymo* in Genes. X.) Vir eruditissimus, *Epistolas* plurimas scripsit, quas *Gellius* allegat Lib. V. Cap. 20. SOLOECISMVM *Sinnius Capito in litteris, quas ad Clodium Tuscum dedit, hisce verbis definit: Solœcismus est, inquit, impar & inconveniens compositura partium orationis.* & Cap. 21. *Sinnii Capitonis doctissimi Viri epistolæ sunt uno in libro multæ, opinor, positæ in templo Pacis. Prima epistola scripta est ad Pacuvium Labeonem, cui titulus præscriptus est,* PLVRIA NON PLVRA DICI DEBERE. *In ea epistola rationes Grammati-*

cas

cas posuit, per quas docet PLVRIA *Latinum esse*, PLVRA *barbarum.* Edidit & *Libros Spectaculorum*, quos citat *Lactantius* VI, 20, 35. *Paullatim tamen & ceteris diis idem honos tribui cœpit, singulique ludi numinibus eorum consecrati sunt, sicut Sisinnius Capito in libris Spectaculorum docet.* ubi *Titinnium* pro *Sisinnio* perperam legit Scholiastes Q. Sereni, quem refellit *Jacobus Nicol. Loensis* Miscell. Epiphill. Lib. IX. Cap. XVIII. Confer *Festum* in *Alterum, Manius, Monstrum, Nec, Nequam, Aurum, Numero, Pacem, Quot Servi tot hostes, Rideo, Sabini, Salva res, Sardi venales, Sexagenarii, Tensa, Vapula Papiria.* Confer & *Servium* ad Lib. I. Æneid. v. 114.

SORNATIVS, incertus auctor, a *Plinio* Lib. I. in Indice Libri XXXI. inter eos allegatur, quorum scriptis & opera se usum ingenue fatetur. *Harduinus* in Reg. Cod. 2. *Surnatino* se scriptum vidisse testatur, (in Indice Auctorum Plinii pag. 129) legendumque suspicatur *Sorano.* Ego receptæ lectioni faveo, quam optimæ editiones Veteres velut de compacto tuentur.

SOSIBIANVS, poëta ingeniosus, sub Domitiano & Trajano floruit, ad quem *Martialis* lib. IV. Epigr. 33.

Plena laboratis habeas cum scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent hæredes, inqvis, mea carmina; quando?
Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.

Conf. Lib. XI. Epigr. 84. ad eundem. Alius est *Sosibius* Lacon, Grammaticus (apud *Suidam, Athenæum,*

næum, Arnobium, Clementem Alexandrinum, Censorinum &c.) quem cum *Sosibiano* nostro confundit *Nicolaus Loydius* & *Carolus Stephanus* in Lexico Historico-Poëtico, edit. Londin. 1686. in fol.

STATIUS SEBOSUS de *Rebus Indiæ* scripsisse videtur ex verbis *Plinii* Lib. IX. Cap. 15. *In Gange Indiæ esse Statius Sebosus haud modico miraculo affert, Vermes, branchiis binis, sex cubitorum, cæruleos, qui nomen a facie traxerunt. His tantas esse vires, ut elephantos ad potum venientes, mordicus comprehensa manu* (proboscide) *eorum abstrahant.* Adde ex *Solino* Cap. 52. *Angvillas ad tricenos pedes longas educat Ganges: quem Statius Sebosus inter miracula præcipua ait vermibus abundare, cæruleis nomine & colore*-nec non Capite ult. *Ultra Gorgadas Hesperidum insulæ, sicut Sebosus affirmat, dierum quadraginta navigatione in intimos maris sinus recesserunt.* Conf. laudat. *Plin.* Lib. I. in Indice Lib. II, III, V, VI. &c. Vixit *Ciceronis* temporibus, qui Lib. II. ad Atticum Epist. 14. *C. Arrius*, inquit, *proximus est vicinus, imo ille quidem jam contubernalis - ecce ex altera parte Sebosus ille Catulli familiaris.* &Epist. 15. *Cum hæc maxime scriberem, ecce tibi Sebosus.*

STATIUS TULLIANUS (forte Libertus ille Quinti, fratris Ciceronis, de quo v. Lib. II. ad Atticum Epist. 18. Lib. V Ep. 1. Lib. VI. Ep. 2. Lib. XV. Ep. 19. & Lib. I. ad Q. Fr. Epist. 2.) Grammaticus, nisi fallor, Libros de *vocabulis rerum* reliquerat, quorum ex *primo* hoc affert *Macrobius* Lib. III. Saturn. Cap. 8. *dixisse Callimachum Tuscos Camil-*

millum appellare Mercurium; *quo vocabulo significant præministrum deorum.* Conf. *Servius* ad lib. XI. Æneid. v. 543.

STAVERIUS aliquis (Vetus, credo, Grammaticus) a *Prisciano* citatur Lib. VIII. pag. m. 286. „Staverius de proportione: *Non esse positiones regu-* „*læ, a quibus interdum analogia calumniatur:* „συκοφαντεῖται.

STERTINIVS, Orator, inter eos, qui præcepta eloquentiæ condiderunt, laudatur a *Quintiliano* Lib. III. Cap. 1. Conf. *Senec.* Controv. Lib. II. Cap. 9. Alius est L. *Stertinius* de quo vid. *Tacitus* Annal. I. 60. 4. & 71, 1. II. 8, 4. & 17, 1. nec non 22, 2. Alius est *Stertinius* philosophus, qui *ducentos viginti Libros Stoicorum Latine scripsit*, ut auctor est *Acro* in Notis ad *Horat.* lib. I. Epist. 12. v. 20. Conf. Lib. II. Sat. 3. v. 33. & 296. Adde hunc Stoicum iis, quorum Catalogum habes apud *Fabricium* meum Lib. III. Bibl. Gr. Cap. 15.

C. CÆSAR STRABO. v. *Cæsar.*

C. SVLPICIVS GALLVS, peritissimus Romanorum Astrologus (de quo in *Idea* nostra *Historiæ Litter. Rom.* pag. 357. diximus) monumentum aliquod peritiæ Astrologicæ reliquisse videtur ex verbis *Plinii* Lib. II. H. N. Cap. 21. *Pythagoras Vir sagacis animi a terra ad lunam centum viginti sex millia stadiorum esse collegit. Ab ea usque ad solem, duplum: inde ad duodecim signa, triplicatum: in qua sententia & Gallus Sulpitius noster fuit.* Imo reliquit *Volumen de Solis ac Lunæ defectione*, quod *Plinius* Lib. cit. Cap. 12. in princ. memorat; *Et ra-*

tio-

tionem quidem defectus utriusque (Solis ac Lunæ) *primus Romani generis in vulgus extulit Sulpitius Gallus, qui consul cum Marcello fuit: sed tum Tribunus militum, solicitudine exercitu liberato, pridie quam Perseus rex superatus a Paulo est, in concionem ab imperatore productus ad prædicendam eclipsim, mox & composito volumine.* Vir clarissimus *Jo. Harduinus* in Indice Auctorum *Plinii* pag. 130. *Historiam Romanam* Sulpitio nostro Gallo tribuit ex *Plutarcho* in vita Romuli pag. 28. sed *Gallum* cum *Galba Sulpitio* confundit, de quo vide *Vossium* Lib. I. de Hist. Lat. Cap. XIIX. pag. 92. & locum Plutarchi adjice. Conf. *Cic.* in Bruto c. 20. de Officiis Lib. I. (edit. Venet. Ald. in fol. 1592.) pag. 24. & in Catone M. pag. 184. nec non *Donatus* in vita Terentii pag. m. 2. de *C. Sulpitio Gallo, homine docto,* cujus ope Terentius adjutus creditur.

SVRA MANLIVS, v. *Manlius.*

SVRA PALFVRIVS. v. *Palfurius.*

SVRDINVS. *Seneca* Suasor. 7. *Apud Cestium Prætorem declamabat hanc svasoriam Surdinus, ingeniosus adolescens, a quo Græcæ fabulæ in latinum Sermonem conversæ sunt* - &c. Conf. Controv. Lib. III. c. 20.

SYLLANVS (*Decimus Junius*) a *Plinio* inter auctores Historiæ suæ naturalis allegatur Lib. I. in Indice Lib. XIV, XV, XVIII. XIX. &c. luculentissime vero Lib. XIIX. Cap. 3. sub finem: *Magoni Pœno tantum honorem Senatus noster habuit Carthagine capta, ut, cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam*

nam

nam linguam transferenda, cum jam M. Cato præcepta condidisset, peritisque linguæ Punicæ dandum negotium, in quo præcessit omnes Vir clarissimæ familiæ D. Syllanus, sive ut *Harduinus* legit, *Silanus*. Conf. *Vigilia* nostra *Prima Noctium Ripensium* pag. 75.

T.

L. TARVTIVS *Firmanus*, Mathematicus percelebris tempore Ciceronis, Græce *de astris* scripsit, teste *Plinio* Lib. I. in Indice Libri XIIX. quo pertinent forte fragmenta illa apud *Ciceronem* Lib. II. de Divinat. pag. m. 1229. L. *quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, inprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque in jugo cum esset luna, natam esse dicebat, nec ejus fata canere* (id est, prædicere, vaticinari, conf. III. in Catil. c. 8. Nep. in vita Attici cap. 16. &c.) *dubitabat*. & *Solinum* Cap. I. *Romulus auspicato fundamenta murorum jecit duodeviginti natus annos, undecimo Kalendas Majas, hora post secundam ante tertiam plenam: sicut Lucius Tarutius* (ita legendum mihi prorsus videtur tum auctoritate aliorum Scriptorum, tum imprimis *Plutarchi*, cui Ταῤῥούτιος sive Ταρούτιος vocatur in vita Romuli pag. 24. secus sentiente Cl. *Salmasio*, qui *Tarruntium* legi jubet in Plinianis Exercitationibus pag. 15.) *prodidit, Mathematicorum nobilissimus, Jove in piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in tauro, Luna in libra constitutis.*

TER-

TERGILLA aliquis a *Plinio* Lib. I. in iis auctoribus Romanis laudatur, quorum ex Scriptis nonnihil transtulit in Histor. Nat. Libr. XIV. & XV. *Harduino* in Indice Auctorum Plinii pag. 131. *de agricolatione* scripsisse videtur, (forte quia Liber XIV. agit de Vitium natura) sed non animadvertit locum Cap. 22. sive ult. ibid. *Tergilla Ciceroni M. F. binos congios simul haurire solitum ipsi objicit, Marcoque Agrippæ a temulento scyphum impactum.* quæ verba quid affine habeant agricolationi, ego sane non video.

TERTIVS aliquis, qui de *ritu sacrorum* multa disseruit, allegatur a *Macrobio* lib. III. Saturn. Cap. 11. forte *Tertius* ille *Persannius*, de quo *Isidorus* Lib. I. Orig. Cap. 21. *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus est notas, sed tantum præpositionum. Post eum Tertius Persannius, Philargius & Aquila libertus Mecænatis alius alias addiderunt.* Alius omnino esse videtur *Julianus Tertius*, de quo meminit *Tacitus* Histor. II, 85, 4. IV, 39, 2. nec non 40, 4.

JVL. TITIANVS, Magister Maximini Imperatoris, præcepta ad *Rhetoricam* pertinentia scripsit, si is est, ut est sine dubio, de quo *Isidorus* Lib. II. Orig. Cap. 2. *Hæc disciplina a Græcis inventa est - & translata in Latinum* (malo *Latium*) *a Tullio videlicet & Titiano & Quintiliano.* Illustravit & Virgilium teste *Servio* ad Lib. X. Æneid. v. 18. *Titianus & Catulinus, qui thematum materias omnes de Virgilio elicuerunt, & conformarunt ad dicendi usum.* Scripsit porro *Chorographiam*, ut au-

ctor est idem Lib. IV. v. 42. quo spectat illud *Sidonii Apollinaris* Lib. I. Ep. 1. *Nam de Marco Tullio silere in stylo epistolari melius puto, quem nec Julius Titianus sub nominibus illustrium fœminarum digna similitudine expressit* - &c. Vide notas V. Cl. *Joannis Savari* Claromontensis pag. 3. Citatur insuper *de Agricultura* a *Diomede*. Conf. *Ausonius*, qui *Apologos* nostro tribuit Epist. XVI. ad Probum: *Apologos Titiani & Nepotis chronica, quasi alios apologos, ad nobilitatem tuam misi.* Denique & hoc addere lubet ex ejusdem Gratiarum Actione Cap. 10. *Quomodo Titianus magister? sed gloriosus ille municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed utilitate consenuit.* Alius est *Titianus*, quem ut conscium tyrannidis & argui passus est *Hadrianus* & proscribi, teste *Spartiano* in vita hujus Cap. 15. Alius *Salvius Titianus* apud *Tacitum* Histor. II, 60, 4. alius porro *Titianus Symmachi* Lib. I. Ep. 46.

TRACHALLVS *Galerius* præclarus artis Oratoriæ Scriptor, sub Othone Imperatore floruit, qui ingenio ipsius uti in rebus Urbanis credebatur. v. *Tacitus* Histor. Lib. I, 90, 3, & II. 60, 6. Laudatur a *Quintiliano* Lib. X, cap. 1. *Erant clara & nuper ingenia. Nam & Trachallus plerumque sublimis & satis apertus fuit, & quem velle optima crederes: auditus tamen major. Nam & vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas, & pronuntiatio vel scenis suffectura, & decor.* & Lib. XII. cap. 5. *Habuit ætas nostra Oratores copiosiores; sed cum diceret, eminere inter æquales Trachallus videbatur: ea*

corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis autoritas, gestus præstantia, vox quidem, non ut Cicero desiderat, pene tragœdorum sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragœdos. Conf. Cap. 10 p. m. 715.

TREBIVS NIGER, quo tempore vixerit, nempe Luculli, quidve scripserit, nempe *de Piscium natura*, ex *Plinio* constat Lib. IX. Hist. Nat. cap. 30. *Non sunt prætereunda & L. Lucullo Proconsule Bæticæ comperta de polypis, quæ Trebius Niger e comitibus ejus prodidit: Avidissimos esse concharum* - & mox ibidem: *Ostendere Lucullo caput ejus* (Polypi) *dolii magnitudine, amphorarum quindecim capace, atque (ut ipsius Trebii verbis utar) barbas, quas vix utroque brachio complecti esset, clavarum modo torosas: longas pedum tricenum* - nec non Lib. XXXII. Cap. 2. *Milvago quoties cernatur extra aquam volitans, tempestates mutari, Trebius Niger auctor est* - *Idem loligines evolare ex aqua tradit, tanta multitudine, ut navigia demergant.* Conf. lib. XIIX. Cap. 3. de liberalitate *Trebii*, qui *in Ædilitate assibus populo frumentum præstitit: quam ob causam & ei statuæ in Capitolio ac Palatio dicatæ sunt: ipse supremo die populi humeris portatus in rogum est.*

SEMPRONIVS TVCCA poëta sub Trajano vixit, æmulus studiorum Martialis, in quem proinde *hic* ita scribit Lib. XII. Epigr. 96.

Scribebamus epos: cœpisti scribere: cessi,
Æmula ne starent carmina nostra tuis.

Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos:
Aptasti longum tu quoque Syrma tibi.

Conf. seqv. & Lib. VII. Ep. 40. Alius est *Aufidius Tucca*, alius *Plotius Tucca*, de quo v. *Gyraldus* de Latinis Poëtis Dial. IV. pag. m. 472.

TVLLIVS MARCELLVS. Vide infra *Partem* IV. in *Carthago.*

TVRANNIVS GRACCVLVS, (sive quod ex MSS. Codd. reponit *Jo. Harduinus* in Indice Auctorum Plinii pag. 133. *Turranius Gracilis*) a *Plinio* citatur Lib. XVIII. Cap. 7. *In Bœtica & Africa genus, ex qua fiat (*Ptisana*), hordei, glabrum appellat Turranius. Idem olyram & oryzam eandem esse existimat.* Conf. Lib. I. in Indice Lib. III. & proœmio. Adde quæ de nostro refert *Seneca* de Brev. vitæ Cap. 20. *Turannius* (ita præstantissimæ editiones legunt) *fuit exactæ diligentiæ Senex: qui post annum nonagesimum, cum vacationem procurationis a C. Cæsare ultro accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem a circumstante familia plangi jussit. Lugebat domus otium domini senis, nec finivit ante tristitiam, quam labor illi suus restitutus est.* Alius est, credo, *Turranius* (D. id est *Decimus*) apud *Ciceronem* Lib. I. ad Atticum Epist. 5. & Lib. VII. Epist. I. Conf. de *Turannio* poëta *Lil. Gyrald.* Dial. VIII. p. m. 929.

V.

VALERIVS VALENTINVS, poëta antiquissimus, a *Festo* citatur in TAPVLLA: *Tapullam legem*

legem convivalem ficto nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus, cujus meminit Lucilius hoc modo : Tapullam rident legem contere opimi ; quem versum Lucilianum ita emendat V. C. *Josephus Scaliger:*

Tapullam rident legem Concera Opimi

Concera pro *Congerra*. Ejusdem *Valerii* est, credo, *Phormio*, & ex Phormione fragmentum apud *Priscianum* Lib. VI. pag. m. 162. & 199.

Quid hic cum tragicis versibus & syrmafacis ? pro Syrmate.

C. VALGIVS RVFVS, rhetor, *praeceptorum Apollodori diligentissimus in tradendo Latine fuit*, quae verba sunt *Quintiliani* Lib. III. Cap. 1. Adde ex Capite 5. *Causam finit Apollodorus, ut interpretatione Valgii discipuli ejus utar, ita : Causa est negotium omnibus suis partibus spectans ad quaestionem* - &c. & Lib. V. cap. 10. *Epicherema Valgius aggressionem vocat.* Scripsit quoque *de usu herbarum* imperfectum Volumen ad Augustum, de quo *Plinius* Lib. XXV. Cap. 2. princ. *Primus & diu solus idem ille M. Cato, omnium bonarum artium magister, paucis duntaxat attigit, boum etiam medicina non omissa. Post eum unus illustrium tentavit, C. Valgius, eruditione spectatus, imperfecto Volumine ad Divum Augustum, inchoata praefatione religiosa*-Conf. Lib. I. in Ind. Lib. XXIII, XXIV, XXVI. Taceo fragmentum de monte *Aetna* apud *Senecam* Epist. 51. princ. *Tu istic habes Aetnam, illum nobilissimum Siciliae montem, quem quare dixerit Messala unicum sive Valgius, (apud utrumque enim legi)*

non reperio. Denique & Libros memorare attinet *de rebus per epistolam quæsitis*, quorum *secundum* una cum sententia auctoris de vocabulo *Lictoris* allegat *Gellius* Lib. XII. Cap. 3. quæ inscriptio *Aldum Manutium* Pauli filium, Aldi Nepotem ita delectavit, ut exemplo Valgii nostri tres Libros *de Quæsitis per Epistolam* ediderit, quos in Thesauro Critico *Gruteri* hâbes Tom. IV. a pag. 169. usque ad 318. „Postremo vitam *Valgii* nostri (verbis utor P. *Colomesii* in Cimel Litter. pag. 219.) „se scripsisse ait „*Crinitus* (in T. Valgio Poëta) in Libris de Ora„toribus; quod opus hodie non exstat. Fortasse est „intêr inedita, quæ Ferrariæ apud Estenses Princi„pes asservari scribit *Gesnerus*„ Idem porro est *Valgius* noster sine dubio, ad quem *Horatius* Oden IX scripsit Lib. II. Carm. quippe qui Horatio *σύγχρονος* fuit, nisi forte *T. Valgium* malis cum *Gyraldo* pag. m. 473. quem cum nostro *Rufo* confundit *Jacobus Nicol. Loensis* Miscell. Epiphill. lib. IV. cap. 12. pag. m. 417.

GEMINVS VARIVS, rhetor, cujus sententias & Controversias refert M. *Seneca* Controv. Lib. III. Cap. 16. 17. 19. seqv. hoc fragmentum de *Asellio* rhetore reliquit apud L. *Annæum Senecam* Epist. 40. *Quomodo istum disertum dicatis, nescio: tria verba non potest jungere.*

VARRO aliquis, eximius poëta & lyricus & tragicus, sub Domitiano & Trajano scripsit, cujus memoriam sane illustrem uni *Martiali* debemus Lib. V. Epigr. 31.

Varro

Varro, Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra,
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis. &c.

VEGETIVS PRÆTEXTATVS, Peripateticus, Themistium in utraque Aristotelis Analytica convertit, teste *Boethio* v. *Jo. Alb. Fabricii* mei Bibl. Gr. Lib. III. cap. 11. pag. 291. & 314.

VERANIVS FLACCVS, Grammaticus, Libros scripsit *de Verbis Pontificalibus* & *Quæstiones Pontificales*. Vid. *Macrob.* Saturnal. Lib. II. Cap. 16. Lib. III. Cap. 2. & 5. Hujus varia fragmenta habes apud *Festum* in *Myrtea corona, Offendices, Oletum, Paludati, Prodiguæ hostiæ, Referri diem prodictam, Silere, Sinistræ aves.* Meminit porro *Veranii* nostri Augustus in Epistola ad Tiberium apud *Svetonium* Cap. 86. *Tuque dubitas, Cimberne Annius an Veranius Flaccus imitandi sint tibi? ita ut verbis, quæ C. Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis, utaris?* unde liquet, falsum esse eruditissimum *Meursium*, qui in notis ad *Macrobium* Saturn. Lib. III. c. 6. pag. m. 398 (edit. Gronov. Lugd. Bat. 1670) pro *Veratius* legi jubet *Veranius* cum hoc fragmento: „Sed Veratius Pontificalis in eo libro, quem „fecit de Supplicationibus ita ait: *Pinariis, qui no-„vissime comeso prandio venissent, cum jam manus „pransores lavarent, præcepisse Herculem, ne quid „postea ipsi aut progenies ipsorum ex decima gusta-„rent sacranda sibi, sed ministrandi tantummodo „causa, non ad epulas, convenirent; quasi ministran-„tes ergo sacri custodes vocari: ut ipse Vergilius a-„libi:*

 At

At Triviæ custos jamdudum in montibus Opis,,

Hactenus *Veratius*, qui Virgilium allegat, cujus testimonio *Veranius* noster, Virgilio multo antiquior, nequaquam uti potuisset; adde quod allatum Veratii fragmentum antiqua & obsoleta dictione prorsus vacat, quam Veranio Augustus tribuit.

VERATIVS v. mox supra *Veranius*.

VERGINIVS RVFVS. v. *Virginius*.

C. HELIVS VESTINVS a Plinio Lib. I. inter eos auctores laudatur quorum ex Libris nonnihil se transtulisse fatetur in Librum XXI. Idem forte, quem simpliciter *Helium* vocat *Suetonius* in vita Neronis Cap. 23. *Cum præsentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur, rescripsit his verbis*. Alius est *Vestinus Atticus*, Consul apud eundem ibid. Cap. 35. & *Tacitum* Annal. XV. 48. 1. quem cum nostro confundit *Harduinus* in Indice Auctorum Plinii p. 133. alius L. *Vestinus* itidem apud *Tacitum* Hist. IV, 53, 1. alius porro *Julius Vestinus* Sophista, cujus scripta commemorat *Suidas* p. m. 686. in Ὀυηςῖνος.

L. VETVS a *Plinio* laudatur Lib. I. in Indice Lib. III, IV, V, VI. Vixit sub Nerone, si idem est, qui Tacito L. *Antistius Vetus* vocatur Annal. III, 38, 2. XIII, 11, 1. & 53, 2. XIV. 58, 4. XVI. 10, 1. & 11, 4. nec non 22, 3.

VIBIVS RVFVS inter Auctores Historiæ suæ Naturalis recensetur a *Plinio* Lib. I. in Indice Lib. XIV, XIX, XXI. Conf. *Senec.* Controv. Lib. I. Cap. 8. & Lib. II. Cap. 11, 14.

L. VINICIVS, Orator, sub Augusto floruit, de quo *Seneca* Controv. Lib. II. Cap. 13. *Hic est* L. *Vini-*

cius

cius (conf. præcedentia) *quo nemo civis Romanus in agendis causis præsentius habuit ingenium. Quidquid longa cogitatio illi præstitura erat, prima intentio animi dabat - De hoc eleganter dixit divus Augustus : Unus Vinicius ingenium in numerato habet.* Conf. Excerpta Controv. Lib. VII. Declam. 5. extr. & L. *Ann. Senec.* Epist. 122. p. m. 558. Alius est *Vinicius* rhetor, de quo *Varro* apud *Nonium* Cap. 2. num. 85. *Vinicius meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit.* intelligo *Vinicium* illum, de quo *Seneca* Epist. 40. *Ipse malueris aliquando, si necesse est, vel juxta P. Vinicium dicere; qui, cum quæreretur quomodo diceret, Asellius ait, Tractim* - conf. seqv. Taceo illustres alios *Vinicios*, ut *Cajum* & *Marcum*, Consules sub Augusto & Tiberio, de quibus *Cassiodorus* in Chronico pag. m. 688.

VIRGINIVS FLAVIVS. v. *Flavius.*

VIRGINIVS RVFVS, sive, quod forte rectius est, *Verginius* (ita *Tacito* passim vocatur. Conf. *Angeli Politiani* Observat. & Emend. Cap. 77. p. m. 90. Tom. I. Thesaur. Gruter.) de *Arte Oratoria* scripsit, teste *Quintiliano*, quem vide sis Lib. III, Cap. 1. & 6. nec non Lib. IV. Cap. 1. Ἐρωτοπαίγνιον quoque lusisse videtur, quum *Plinius Junior* versiculos suos parum castos & severos hujus gravissimi Viri & aliorum auctoritate atque exemplo tuetur lib. V. Epist. 3. num. 3. *Ego verear, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Calvum, & proxime Verginium Rufum ?* conf. præced. ibid. Vitam & laudes *Virginii* nostri Idem quoque copiosius per-

sequitur Lib. II. Epist. I. ad Voconium, quæ ita incipit: *Post aliquot annos insigne atque etiam memorabile populi Romani oculis spectaculum exhibuit publicum funus Verginii Rufi, maximi & clarissimi civis* -&c. Quo spectat versus, quem monimento suo inscribi ipsemet Virginius mandaverat curaveratque, Lib. VI. Epist. 10. num. 4.

HIC SITVS EST RVFVS, PVLSO
QVI VINDICE QVONDAM
IMPERIVM ADSERVIT NON
SIBI, SED PATRIÆ.

Conf. Lib. IX. Epist. 19. num 1. seqv. nec non *Jul. Frontin.* de Aquæduct. fol. m. 18. col. 2. edit. 1523. in 8. *Dio Cassius* Lib. LXIII. p. 725. *Plutarchus* in Galba pag. 1055. & *Tacitus* sæpissime. Idemne an alius sit *Virginius Rufus* apud *Alexandrum Aphrodisiensem* de *Anima* pag. 154. (edit. Venet. 1534. fol. • Vid. *Fabric.* Biblioth. Gr. Lib. IV. cap. XXV. pag. 88.) haud temere dixerim.

C. VISELLIVS, rhetor, a *Quintiliano* nonnunquam allegatur, & quidem cum hoc elogio Lib. IX. Cap. 2. pag. m. 514. *Non negligens auctor Visellius* - adde, quæ mox ibidem sequuntur pag. 515. *Visellius quanquam paucissimas facit figuras, facit* ἐνθύμημα *tamen, quod* COMMENTVM *vocat: &* RATIONEM *appellans* ἐπιχείρημα *inter eas habet; quod quidem recipit quodammodo & Celsus: nam* Consequens *an* epicherema *sit, dubitat. Visellius adjicit & sententiam.* item Cap. 3. pag. m. 533. *Hæc omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedica-*

dicaverunt, ſicut Cæcilius, Dionyſius, Rutilius, Cornificius, Viſellius, aliique non pauci. Adde porro Fragmentum apud *Priſcianum* Lib. VIII. pag. m. 287. *Bonæ res per illos a raro initio exorſæ* (παϑητικῶς, pro, inchoatæ) *in te ad ſummum pervenerunt.* Conf. *Valer. Max.* Lib. VIII. Cap. 2. exempl. 2. & *Cicero* de Clar. Orat. pag. m. 272. edit. Ald. in folio Venet. 1592.

VMBRICIVS MELIOR, Aruſpicum ævo *Plinii* (ut *hic* tradit Lib. X. Cap. 6.) peritiſſimus, de *avibus* ſcripſit & *Hetruſca diſciplina*. Vid. Lib. I. in Indice Libri XI. De hoc *Umbricio* intellige illud *Taciti* Hiſtor. I. 27. I. XVIII. *Kalend. Febr. ſacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, haruſpex Umbricius triſtia exta & inſtantes inſidias ac domeſticum hoſtem prædicit.* Conf. *Juvenalis*, qui Lib. I. Sat. 3. v. 21. ſeqv. *Umbritium* Virum Optimum, ex urbe Roma Cumas migrantem & diſceſſus ſui cauſſas exponentem inducit, quod peregrinis, ſervilibus & adulatoribus, non bonis locus in urbe eſſet.

VOLVMNIVS aliquis, poëta, qui *Tragœdias Tuſcas* ſcripſit, citatur *Varroni* de L. Lat. Lib. IV. pag. m. 16. idem forte qui Μῖμος *Plutarcho* dicitur in vita Bruti pag. 1005. ſive *P. Volumnius*, eques Romanus apud *Ciceronem* Lib. VII. Epiſt. 32. Lib. IX. Ep. 26. & ad Atticum Lib. V. Ep. 15. minime P. *Volumnius* ἀνὴρ φιλόσοφος, apud laudatum *Plutarchum* l. c. pag. 1006. & 1008.

PARS II.

PARS II.

DE

INGENIIS

QVIBVSDAM

ROMANIS,

HACTENUS FERE INCOGNITIS,

QVÆ

ERVDITIONIS ET LITTERARVM
GLORIA ABSQVE SCRIPTIS
FLORVERVNT.

PRÆFATIO
AD
PARTEM SECVNDAM

Quod ſuis temporibus *Cicero* Lib. II. de Orat. p. m.72. dolet, *Oratores* Veteres Romanos *Scripta, ex quibus judicium fieri poſſet, (quomodo ætates ſingulæ ſingula dicendi genera extulerint) non multa reliquiſſe*, id noſtra ætate merito magis dolemus. Dolemus ἀγραφίαν (quam hodie vocamus) clariſſimorum quorundam civium Romanorum, quæ immane quántum caliginis illuſtriſſimæ gentis nomini relinquit. Gravius vero ferimus amiſſam eorum ingeniorum notitiam, quæ ἄτερ γραφῆς in litteris eminuerunt. Intuere quæſo, quantum eſt, qui de rebus Romanis ſcripſerunt hodieque ſuperſunt. Plurima de Virtutibus & geſtis, pauciſſima de eruditione teſtimonia numerabis. *Laertium* Romanum neminem habemus, neminem *Heſychium, Eunapium* &c. Ego vero Latium non minus fortunatum eruditis hominibus quam terram Græciam prædicare audeo. Circumſpice inprimis tem-

tempora *Ciceronis* & CÆSARIS, quorum copiam doctrinæ & facundiæ laudat *Vellejus Paterculus* Lib II. Cap. XXXVI. confer *Quæstiones* noſtras *Romanas* pag. 317) quo & pertinet illud *Svetonii* de Cæſare Cap. 42. *Omnes Medicinam Romæ profeſſos & liberalium artium doctores, quo libentius & ipſi urbem incolerent & ceteri appeterent, civitate donavit.* Circumſpice tempora AVGVSTI, qui *ingenia ſui ſeculi omnibus modis fovit, recitantes & benigne & patienter audivit, nec tantum carmina & hiſtorias, ſed & orationes & dialogos*, teſte *Tranquillo* c. 89. Vides largiſſimum omnigenæ eruditionis proventum. Confer *Ideam* noſtram *Hiſtor. Litter. Romanorum* pag. 318. Quinimo ſub NERONE etiam præclaris ingeniis abundasſe Remp. Romanam, idem auctor eſt Cap. I. de Claris Rhetoribus: *Nero Cæſar primo imperii anno, publice quoque, bis antea, declamavit; plerique autem Oratorum etiam declamationes ediderunt. Quare magno ſtudio hominibus injecto, magna etiam profeſſorum ac doctorum profluxit copia* &c. Quid de VESPASIANO? qui *ingenia & artes vel maxime fovit, & primus e fiſco Latinis Græcisque rhetoribus annua centena conſtitu-*

ſtituit-apud eundem Cap. 18. Conf. *Quintilian.* III. 1. ſub finem. Taceo ævum TRAIANI, cujus fortunam litterariam ita extollit *Plinius* Lib. I. Epiſt. X *ſi quando Urbs noſtra liberalibus ſtudiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla ſunt.* Conf. Epiſt. XIII. princ. & Panegyr. Cap. XLVII. nec non exclamationem ſuper ingeniis ſui temporis eruditiſſimis ſed in obſcuro delitеſcentibus Lib. VII. Epiſt. XXV. princ. *O quantum eruditorum aut modeſtia ipſorum aut quies operit & ſubtrahit famæ?* Taceo tempus HADRIANI, qui Μȣσικώτατος βασιλεὺς dictus *Athenæo* III. 29. Τȣ̀ς θεραπευτὰς τȣ̃ λόγȣ μεγάλως ἐδεξιȣ̃το, συνεπομένȣς ἔχων αὐτῷ καὶ ȣ̃ς ᾔδει ἄνδρας σοφȣ́ς. *Viros doctos magno amore complectebatur, &, quos ſapientes noſſet, in comitatu ſemper habebat,* ut eſt apud *Theodorum Metochitam* in Hiſt. Rom. item ANTONINI PII, qui *Rhetoribus & philoſophis per omnes provincias & honores & ſalaria detulit,* teſte *Capitolino* in hujus Vita Cap. 6. Taceo denique laudes ſeculi, quo M. ANTONINVS *Philoſophus* imperavit, apud *Herodianum* Lib. I. Cap. II. p. m. 5. *Extulit illa ætas magnum ſapientum virorum proventum.* Brevi: Habuerunt Athenæ

Romanæ ſuos paſſim non modo *Platones*, *Demoſthenes*, *Sophocles* &c. ſed & *Socrates* quam plurimos, id eſt, eos, qui nullum eruditionis & eloquentiæ monumentum, nullam litteram reliquerunt, exemplo *Socratis*, *μηδὲ συγγράμματα καταλιπῶντος*, quæ verba ſunt *Origenis* ſive alterius incerti auctoris *Philoſophum.* Cap. XIIX. p. m. 107. conſentientibus *Cicerone*, *Laertio*, aliis. Quorum quidem memoriam cum neglectam fere & oblitteratam hactenus deprehendi, excusſa, quantum per alias occupationes licuit, Bibliotheca Veteri Romana, otii quoque nonnihil in iis nominibus eruendis collocare decrevi, quibus ſingularem aliquam ingenii & eruditionis celebritatem antiqui Scriptores Latini tribuunt. Tu vero, optime Lector, benevole hanc operam interpretare, & molliori manu hos Eruditorum Romanorum Manes excipe, quibus plures ex inferis ſuis evocare nunc non vacavit. Vale.

A.

A.

ÆMILIVS MAGNVS ARBORIVS, avunculus Ausonii, Rhetor, quanta eloquentiæ laude floruerit, testis est *hic* Parental. IV. v. 9.

Qui me lactantem puerum, juvenemque virumque
Artibus ornasti, quas didicisse juvat.
Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosæ,
Te Narbonensis Gallia præposuit,
Ornasti cujus Latio Sermone tribunal,
Et fora Iberorum, quæque Novem populis;
Hinc tenus Europam fama crescente, perito
Constantinopolis rhetore te viguit.
Tu per mille modos per mille oracula, fandi
Doctus, facundus, tum celer atque memor.

Rigorem Æmilio nostro tribuit *Sidonius* Lib. V. Ep. X. ad Sapaudum pag. m. 344. *Tua tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi divisio Palæmonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agrætii disciplina, fortitudo Alcimi, Adelphii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorii, non modo non superiora sed vix æquiparabilia scribantur.*

AFRICANVS aliquis, Orator sub Valentiniano, memoratur *Ammiano Marcellino* lib. XXIX. cap. 3. pag. m. 536. *Africanus caussarum in urbe defensor adsiduus, post administratam provinciam ad aliam regendam adspiravit.* Alius est *Africanus* JCtus, Papiniani discipulus, sub Alexandro Severo, de quo meminit *Lampridius* in hujus Imperatoris vita p. m. 355.

CÆCINA ALBINUS. v. *Furius Albinus.*
LUCEJUS ALBINUS v. *Lucejus.*
FURIUS ALBINUS v. *Furius.*

ANINIUS MACER, illustris Orator Græcus, sed gente Romanus, temporibus M. Antonini Philosophi vixit, qui eo præceptore usus est. Vid. *Jul. Capitolinus* in vita *hujus* Cap. 2. Alii legunt *Annius Macer*, quod magis placet.

ANTISTIVS (CAPELLA) rhetor clarissimus, magister Commodi Antonini fuit, de quo *Lampridius* in vita hujus meminit Cap. 1. *Habuit* (Commodus Antoninus) *litteratorem Græcum, Onesicritum: Latinum, Capellam Antistium.* Taceo *Capellas* alios, de quibus v. *Lilius Gyraldus* Dial. IV. p. 579. potissimum vero *Fabricius* meus lib. III. Bibl. Lat. Cap. 15. p. 637.

ANTONIVS JVLIANVS, gente Hispanus, rhetor insignis fuit temporibus Hadriani, cujus virtutes & singularem eruditionem prædicat *Gellius* Lib. I. Cap. 4. *Antonius Julianus rhetor perquam fuit honesti atque amœni ingenii, doctrina quoque ista utiliore* (lego *iste utili vere*) *ac delectabili, veterumque elegantiarum cura & memoria multa fuit; ad hoc scripta pleraque omnia antiquiora tam curiose spectabat, & aut virtutes pensitabat aut vitia rimabatur, ut judicium factum esse examussim diceres.* Adde ex Libro IX. Cap. I. *Percunctabar Antonium Julianum rhetorem, cur hoc ita usu veniret, ut contigui magis directioresque ictus fiant, si vel lapidem vel sagittam sursum versus jacias quam deorsum.* Conf. seqv. & Cap 15. nec non

non Lib. XV. Cap. 1. Lib. XIIX. Cap. 5. Lib. XIX. Cap. 9. Lib. XX. Cap. 9. Alius eſt, credo, *Antonius Julianus*, Rerum Judaicarum Scriptor apud *Minucium Felicem* in Octavio Cap. XXX. num. 5. *Scripta Judæorum relege, vel ſi Romanis magis gaudes, ut transeamus Veteres, Flavii Joſephi, vel Antonii Juliani, de Judæis require* &c. de quo ſcriptore vid. *Voſſius* Lib. III. de Hiſt. Lat. pag. 696.

TROSIUS APER, v. *Troſius*.

LUCIUS APPULEIUS, Grammaticus, *ab Eficio Calvino Equite Romano prædivite quadringenis annuis conductus multos edocuit*, quæ verba ſunt *Svetonii* de Illuſtr. Gramm. cap. 3. Alius eſt *Lucius Appulejus Saturninus*, Tribunus plebis, *eloquentisſimus* judicio *Ciceronis* de Clar. Orat. p. m. 265. de quo videri porro poſſunt *Livius* Epitom. 69. & *Aurelius Victor* de Viris Illuſtribus cap. 73. quem adjungere libet *Appulejis* Fabricii mei lib. III. Bibl. Lat. Cap. 2. pag. 514. ſeqv. item *Apulejum Rufinum* Conſulem cum Severo poſtea Imperatore, (v. *Spartianus* in vita Severi pag. m. 319) nec non *Apuleium Panſam* apud *Livium*, alios.

APRUNCULUS GALLUS, Orator diſertus ſub Juliano, clarus inprimis eſt ex hiſtoria *Ammiani Marcellini*, quæ ita incipit Lib. XXII. cap. 1. princ. *Dum hæc in diverſa parte terrarum fortunæ ſtruunt volubiles caſus, Julianus inter multa, quæ per Illyricum agitabat, exta rimabatur adſidue. Eique tandem aruſpicinæ peritus Aprunculus Gallus Orator, promotus poſtea rector Narbonenſis, nunciavit &c.*

ARRIANUS MATURIUS, homo equeſtris, temporibus Trajani, ex oppido Venetiæ Altino

oriundus, omnium merito in se admirationem convertit, qui legunt testimonium *Plinii* Lib. III. Epist. 2. Arriani Maturii *ego consilio in negotiis, judicio in studiis utor. nam plurimum fide, plurimum veritate, plurimum intelligentia praestat.* Conf. praeced. ib. & Lib. I. Ep. 2. in qua Librum suum Arriano emendandum commendat, nec non Lib. II. Epist. 11. & 12. ad Arrianum, item Lib. IV. Ep. 8. n. 12. Lib. VI. Ep. 2. Lib. VIII. Ep. 21. De aliis *Arrianis* vide *Molleri* Homonymoscop. Cap. IV. pag. 355. seqv. & *Fabricii* mei Biblioth. Gr. Lib. IV. c. 8. p. 269.

ASINIVS BASSVS, filius Asinii Rufi, Quaestor temporibus Trajani, quam excellentis ingenii & eruditionis fuerit, testis locupletissimus est *Plinius* Lib. IV. Ep. 15. ad Fundanum: *Difficile est, ut mihi de absente credas, quanquam credere soles omnia, tantum in illo* (Asinio Basso) *industriae, probitatis, eruditionis, ingenii, studii, memoriae denique esse, quantum expertus invenies. Vellem tam ferax seculum bonis artibus haberemus, ut aliquos Basso praeferre deberes; tum ego te primus hortarer moneremque, circumferres oculos, ac diu pensitares, quem potissimum elegeris.*

ATEDIVS MELIOR, Vir clarissimus sub Domitiano vixit, notus praecipue ex Epistola P. *Papinii Statii*, Libro Secundo Sylvarum praefixa, quae ita incipit: *Et familiaritas nostra, qua gaudeo, MELIOR Vir optime, nec minus in judicio litterarum quam in omni vita colore tersissime* &c. Conf. *Martialis* Lib. VI. Epigr. 28. 29. & Lib. VIII. Epigr. 38.

AT-

ATTEIVS SANCTVS, Orator percelebris temporibus Commodi Antonini floruit, cui a ſtudiis erat. v. *Lamprid.* in vita Commodi cap. I.

CL. AVGVSTALIS, ingenuæ eruditionis homo temporibusClaudii Imp. laudatur a *Columella* Lib. XI. de R. R. Cap. 7. princ. *Claudius Auguſtalis tam ingenuæ naturæ quam eruditionis adoleſcens, complurium ſtudiorum, & præcipue agricolationum ſermonibus inſtigatus excudit* (malo *extudit) mihi, cultus hortorum proſa ut oratione componerem.* Conf. ſeqv. ib. Cetera ignotus.

JVL. AVITVS, Juvenis eruditus & πολυμαθέςατος, ſed in ipſo ætatis flore ſub Trajano exſtinctus, lugetur a *Plinio* Lib. V. Epiſt. 9. *Illud plane non triſte ſolum, verum etiam luctuoſum, quod Julius Avitus deceſſit, dum ex quæſtura redit - Quo ille ſtudiorum amore flagrabat? quantum legit? quantum etiam ſcripſit? quæ nunc omnia cum ipſo ſine fructu poſteritatis, aruerunt.* Alius eſt *Junius Avitus*, cujus mortem idem acerbius deplorat Lib. VIII. Ep. 23. addito ſimul hoc encomio: *Aviti hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur, hæc præcipua eruditio, quod diſcere volebat. Semper ille aut de ſtudiis aliquid aut de officiis vitæ conſulebat.*

AVITVS (LOLLIANVS) Vir conſularis ſub Antonino Pio vixit, cujus eruditiſſimam eloquentiam ita extollit *Apulejus* in Apologia pag. m. 446. *Multos in vita mea Romani nominis diſertos viros ſedulo cognovi, ſed ſum æque neminem admiratus. Nemo eſt hodie, quantum mea opinio fert, alicujus in eloquentia laudis ac ſpei, quin Avitus eſ-*

se longe malit, si cum eo se, remota invidia, velit conferre. Quippe omnes fandi virtutes pene diversa in illo viro congruunt. Quamcunque Orationem struxerit Avitus, ita illa erit undique sui perfecte absoluta, ut in illa neque Cato gravitatem requirat, neque Lælius lenitatem, neque Graccus impetum, nec Cæsar calorem, nec Hortensius distributionem, nec Calvus argutias, nec parsimoniam Sallustius, nec opulentiam Cicero &c. Conf. pag. 135. & Notas *Scipionis Gentilis* ibidem pag. 137.

B.

BÆBIUS MACRINUS, rhetor percelebris, temporibus Alexandri Severi floruit, qui magistro eo usus traditur a *Lampridio* in vita hujus Cap. 3. Alius est *Bæbius Macer*, de quo vide *Partem I.*

Q. LUCILIUS BALBUS, Stoicus, a *Cicerone* laudatur Lib. I. de natura Deorum pag. m. 4. *Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur.* Conf. seqq.

POMPONIVS BASSVS. v. *Pomponius*

PUBLIUS BLESSUS, Orator temporibus Vespasiani, notus potissimum est ex illo *Quintiliani* Lib. VI. Cap. 3. p. m. 357. *Publius Blessus Junium (Bassum* intellige, de quo v. Lib. XI. Cap. 3. p. m. 667. & *Turneb.* Lib. XXVIII. Adverf. cap. 35.) *hominem nigrum & macrum & pandum, fibulam ferream dixit.*

BRUTIDIUS NIGER, ædilis sub Tiberio, ab ingenio & eruditione commendatur *Tacito* Annal

III.

III. 66. 5. *Brutidium artibus honestis copiosum, &, si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum, festinatio exstimulabat.* Conf. num. 2. ibid.

C.

CALVISIUS NEPOS, Vir magnus & doctissimus sub Trajano, immortalitatem nominis sui præcipue imo unice debet *Plinio* Juniori, qui Lib. IV. Epist. 26. *Petis*, inquit, *ut libellos meos, quos studiosissime comparasti, recognoscendos emendandosque curem. faciam. quid enim suscipere libentius debeo, te præsertim exigente? Nam quum Vir gravissimus, doctissimus, disertissimus tanti putes scripta nostra circumferre tecum, quantopere mihi providendum est, ne hæc pars sarcinarum tanquam supervacua offendat?* Adde ex Epist. 4. ib. *Calvisium Nepotem validissime diligo, Virum industrium, disertum, rectum, quod apud me vel potissimum est.* Conf. Lib. II. Ep. 3. ad *Calvisium* nostrum, nec non Lib. III. Ep. 16. & Lib. VI. Ep. 19. item Lib. I. Ep. 12. num. 12.

CANINIUS CELER, Orator Græcus, gente Romanus, temporibus M. Antonini Philosophi & Veri Imperatorum floruit, qui præceptore eo usi traduntur a *Capitolino* in Vita *hujus* cap. 2. *illius* itidem 2. *Maussacus*, qui in *Dissertatione Critica*, quam Harpocrationi a se edito attexuit, *Caninium* & *Celerem* quasi duos recenset, quorum *Marcus Caninius* alter sit dictus, neminem (puto) σύμψηφον habet. Verbis utor *Gatakeri* in notis ad Philosophum p. [illegible]4. Conf. *Jonsius* de Script. Hist. Philos. Lib. III. Cap. IX. §. 3. p. m. 49.

TIT. CASTRICIVS, rhetor ſub Hadriano celeberrimus fuit, de quo præclarum exſtat *Gellii* teſtimonium Lib. XIII. Cap. 20. (in editione *Gronovii* noviſſima cap. 21) princ. *Titus Caſtricius rhetoricæ diſciplinæ doctor, qui habuit Romæ locum principem declamandi ac docendi, ſumma Vir auctoritate gravitateque, & a divo Hadriano in mores atque litteras ſpectatus*-&c. Conf. ſeqv. ibidem & Lib. I. Cap. 6. Lib. II. cap. 27. nec non Lib. XI. cap. 13. *Gronovius* in Notis ad Gellium pag. 51. (edit. Lugd. 1706. in 4to.) *Non puto*, inquit, *eundem eſſe, qui κηπȣρικὰ ſcripſit, ex quo in Librum 19. Hiſt. Nat. multa transtulit Plinius.* Recte, mi Gronovi, neque enim putare debes. Vide *Partem* I. de *Caſtricio.*

CASTRICVS, eximius poëta ſub Domitiano floruit, quem *Martialis* Lib. VII. Epigr. XLI. ita extollit:

Muneribus cupiat ſiquis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Caſtrice, carminibus.
Nos tenues in utroque ſumus, vincique parati:
Inde ſopor nobis & placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
Alcinoo nullum poma dediſſe putas?

FRONTO CATIUS. v. *Fronto.*

CELER CANINIUS v. ſupra *Caninius.*

VELLEIUS CELER. v. *Vellejus.*

CELSINUS JULIANUS (ſive JULIUS) NVMIDA, homo litteratus, &, niſi fallor, ſub Hadriano familiariter cum *Gellio* vixit, quem vide ſis Lib. XIX. cap. 7. & 10.

C. CEN-

C. CENSORINVS, qui Cn. Octavium Consulem interfecit, ut *Appianus refert*, *Græcis litteris satis doctus* dicitur *Ciceroni* de Clar. Orat. p. m. 264. *quod proposuerat, explicans expedite, non invenustus auctor & inimicus fori.* Alius est *Censorinus* apud eundem Lib. XII. epist. 5. ad Atticum; alius, ad quem *Horatius* Lib. IV. Od. VIII.

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus &c.

ut Censorinos alios transeam.

Q. CERELLIVS, equestris ordinis homo & officiis municipalibus functus, amicus *Censorini*, qui suum illi Librum *de Die Natali* inscripsit, cujus ex Capite primo hæc in laudem Cerellii depromo: *Sapientium disciplina formatus, satis liquido comperisti, hujusmodi* (blandimenta fortunæ, opes &c.) *sita in lubrico, bona malave per se non esse, sed τῶν μέσων, hoc est bonorum malorumque media censeri.* Conf. sequentia ibid. de eruditione *Cerellii.* Adde ex Capite XV. *Quem veterum nunc memoria* (malo *memoriæ*) *suspicimus, quem prudentia-tibi antistare dicemus? Quis eorum, si adesset, non in te omnium virtutum prædicationem conferret? quis tuis laudibus se postponi erubesceret? De eloquentia quoque sileo: quam omnia nostrarum provinciarum tribunalia, omnes præsides noverunt: quam denique urbs Roma & auditoria sacra mirata sunt. hæc se & ad præsens & in futura secula satis ipsa nobilitat.* Cassiodorus *Cærellium* scribit per diphthongum pro *Cerellium*, quod posterius in notis ad Censorinum pag. 3. recte satis tuetur *Lindenbrogius*, sed

ſed teſtimoniis *Plinii* Junioris Lib. II. Ep. 19. & Lib. IV. Ep. 21. fruſtra in partem vocatis, cum autor ad *Cerealem* binas illas epiſtolas ſcripſit, non *Cerellium.* De aliis *Cerelliis* vide *Glandorpii* Onomaſticon Romanum pag. 216.

CINNA CATULLUS, Stoicus percelebris, temporibus M. Antonini Philoſophi floruit, quo & hic præceptore uſus traditur a *Capitolino* c. 3. *Salmaſius* mavult *Catulum* legi, ſeqvutus forte ipſum *Antoninum*, qui Lib. I. §. 13. pag. m. 3. Κάτελον vocat. Nec eſt, quod ad *Catullos* omnino referatur, cum & *Catulos* agnoſcit hiſtoria Romana apud *Vellejum Paterc.* II, 32. *Plinium* XXXIV. Hiſt. Nat. 8. *Gellium* XIX. 9. *Lucanum*, *Eutropium*, *Tacitum*, *Florum*, *Senecam*, alios. Salmaſio ſuffragantur eruditorum alii, ut Celeb. *Fabricius* meus Lib. III. Biblioth. Gr. Cap. 15. pag. 394. & *Jo. Jonſius* de Script. Hiſtor. Philoſ. Lib. III. Cap. 9. §. 5. p. m. 50.

CLARANUS, vetus Grammaticus, ſub Claudio docuit, cujus memoriam nobis reliquit *Seneca* Epiſt. LXVI. *Claranum condiſcipulum meum vidi*-illuſtriorem vero *Auſonius* Epiſt. 18. p. m. 230.

Urſule, collega nobilis Harmonio.
Harmonio: quem Claranus, quem Scaurus & Aſper:
Quem ſibi conferret Varro, priorque Crates.

& *Martialis* Lib. X. Epigr. 21. v. 2.

Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat?

Conf. *Ptolemæi Flavii* Conjectan. Cap. XIX. p. m. 565. & ſupr. Part. I. in *Clanarius*.

CLAV-

CLAUDIUS AUGUSTALIS v. *Augustalis.*

SERVIUS CLAUDIUS v. *Servius.*

CLAUDIUS VENATUS, Orator amplissimus vocatur ab *Ælio Lampridio*, qui & consiliis Alexandri Severi Imperatoris eum interfuisse tradit in hujus vita Cap. 68.

CONCORDIUS, Philologus Burdigalensis, celebris inprimis est Carmine XI. *Ausonii* in Commemoratione Prof. Burd. p. m. 73.

Et tu, Concordi,
Qui profugus patria,
Mutasti sterilem
Urbe alia Cathedram.

VAL. CORDUS, quo litteratore usus est Alexander Severus, memoratur *Lampridio* in vita hujus Cap. 3.

CORELLIUS RUFUS, vir emendatissimus sub Domitiano & Trajano floruit, quem non sine summa reverentia dilexit *Plinius* Junior. Vid. Lib. I. Epist. 12. Conf. præced. ibidem & Lib. IV. Ep. 17. nec non lib. VII. Ep. 11. & 31. Philosophus fuit gravissimus, disciplinæ, nisi fallor, Stoicæ, & in iis numerandus, quorum Catalogum exhibet *Jo. A. Fabricius* Bibl. Gr. Lib. III. Cap. 15. Dixi mox, *nisi fallor.* sed non fallor. Perpende, quæso, verba *Plinii* Lib. I. Epist. 12. num. 3. *Corellium quidem summa ratio, quæ sapientibus pro necessitate est,* (ex mente Stoicorum) *ad hoc consilium* (ut sponte decederet & inedia mortem accelerare) *compulit.* item num. 9. & 10. *Misit ad me uxor ejus Hispulla communem ami-*

amicum C. *Geminium cum tristissimo nuntio, destinasse Corellium mori, nec aut suis aut filiæ precibus flecti-Dixerat sane medico admoventi cibum,* κέκρικα - Quinimo & *Plinium* ejusdem sectæ fuisse crederes, quod in sequentibus ait num. 12. *Amisi enim, amisi vitæ meæ testem, rectorem, magistrum. In summa, dicam, quod recenti dolore contubernali meo Calvisio dixi ; Vereor ne negligentius vivam.*

CORNELIUS MINUTIANUS. v. *Minutianus.*

D.

DECIANUS, gente Hispanus, ex urbe *Emerita* oriundus, Vir eruditus & Græcarum Latinarumque litterarum scientissimus prædicatur a *Martiali* Lib. I, Epigr. 40.

Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Minervæ
Artibus, & vera simplicitate bonus :
Siquis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos :
Siquis erit magnæ subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Decianus erit.

Stoicum fuisse, testis est Idem ibidem Epigr. 9.

Quod magni Traseæ consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis,
Pectore nec nudo strictos incurris in enses,
Quod fecisse velim te, Deciane, facis. &c.

Insere hunc Catalogo Stoicorum Celeb. *Fabricii* Lib. III. Cap. 15. Bibl. Gr. pag. 402. De reliquo conf. Epigr. 25. & 62. nec non Lib. II. Præfat. & Epigr. 5.

DO-

DOMITIUS INSANUS, Grammaticus fuit temporibus Hadriani, quem *hominem doctum celebremque* vocat *Gellius* Lib. XIIX. cap. 7. Dictus cognomento *Insanus*, *quoniam erat natura intractabilior & morosior*, quæ verba ejusdem sunt ibidem. Conf. *Jo. Baptistæ Pii* Annotat. Poster. Cap. 113. p. m. 513. (Tom. I. Thesaur. Gruter.) de significationibus vocis *Insanus*, qui ex citato Gellii loco probare conatur, homines intractabiles, non comes, non urbanos, non eutrapelos, ut Græci dicunt, Romanis *Insanos* appellatos fuisse. Conf. & *Tiraquellus* in notis ad Alexandrum ab Alexandro pag. 28. litt. o.

E.

EPRIUS MARCELLUS, Orator eloquentissimus, sub Vespasiano causas egit, de quo Auctor Dialogi de Orat. Cap. 5. num. 7. *Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam suam opposuit? qui accinctus & minax disertam quidem sed inexercitatam & ejusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit.* & Cap. 8. princ. *Ausim contendere, Marcellum Eprium & Crispum Vibium non minus esse in extremis partibus terrarum, quam Capuæ aut Vercellis, ubi nati dicuntur.* Conf. seqv. ibid. & *Tacit.* Annal. XVI. 22, 10. Transeo alia, quæ vitam Eprii nostri illustrant, nempe quod prætor unius diei fuit, quod Thraseam accusavit, quod Neronem in exitium multorum impulit, de quibus vide proxime laudatum auctorem Annal. XII. 4, 4. XIII. 33, 3. XVI. 22, 1. & Histor. II. 53, 2. nec non 95, 5. IV. 7, 7. &c.

ERU-

ERUCIUS CLARUS, Vir illuſtris, quem ad A. U. C. IↃCCCLXX. inter COSS. ordinarios refert *Caſſiodorus* pag. m. 691. (reprehenſus proinde ab *Onuphrio* Comment. in Lib. Faſt. I. qui ſuffectum eum tantum fuiſſe obſervat) præfectus Urbis ſub Trajano (v. *Dion Caſſius* p. m. 160) amicus Plinii Junioris (cujus ad illum Epiſtola XVI. exſtat Lib. I.) ob eximiam eruditionem commemorari meretur, cujus teſtis eſt inprimis *Gellius*, Lib. XIII. cap. 16. *Erucius Clarus, qui præfectus Urbi & bis Conſul fuit, Vir morum & litterarum Veterum ſtudioſiſſimus ad Sulpicium Apollinarem ſcripſit - quærere ſeſe & petere, ut ſibi reſcriberet, quænam eſſet eorum verborum* (inter os & offam) *ſententia* - &c. Adde & teſtimonium *Plinii* Lib. II. Epiſt. 9. *Erucius Vir ſanctus, antiquus, diſertus, atque in agendis cauſis exercitatus, quas ſumma fide, pari conſtantia, nec verecundia minore defendit.* Alius eſt omnino *Erucius Clarus* apud *Paulum* de Officio Præfecti Vigilum l. 3. §. 2. *Effracturæ fiunt plerumque in inſulis, in horreisque, ubi homines pretioſiſſimam partem fortunarum ſuarum reponunt, cum vel cella effringitur, vel armarium, vel arca. & cuſtodes plerumque puniuntur. & Divus Antoninus Erucio Claro reſcripſit*-Nempe hic eſt *Erucius* ille, quem a Commodo occiſum refert *Spartianus* in vita Severi Cap. 13. adeoque emendandus error Viri Cl. *Ægidii Menagii* qui Cap. XXXI. Amœnit. Jur. Civil. pag. 121. noſtrum cum hoc *Erucio* confundit.

SEXTUS ERUCIUS, dignus patre (*Erucio Claro*, de quo proxime diximus) filius, magnopere a *Pli-*

a *Plinio* itidem commendatur loc. cit. (Lib. II. Ep. 9) num. 3. *Quæ causa si studium meum non incitaret, adjutum tamen cuperem juvenem probissimum, gravissimum, eruditissimum, omni denique laude dignissimum.*

MARCELLVS ESERNINVS, rhetor eximius, M. *Seneca* aliquoties memoratur, qui hujus sententias & Controversias refert Lib. III. Controv. Cap. 17, 19. seqv. Meminit & *Esernini* nostri *Tacitus* Annal. XI, 6, 4. *Meminissent C. Asinii & Messalæ ac recentiorum Arruntii & Esernini, ad summa provectos incorrupta vita & facundia* (conf. III, 11, 2.) unde satis liquido apparet, eum sub Augusto & Tiberio inprimis floruisse. Conf. *Plinius* Lib. XII. Hist. Nat. Cap. 1. Alius est *Æserninus* Lucilii Sat. Lib. IV. apud *Nonium* Cap. IV. p. m. 393. & *Ciceronis* de Opt. Gen. Orat. cap. 6. de quo fusius differit *Janus Parrhasius* Epist. LX. de rebus per epist. quæsitis pag. m. 812, 813. Ceterum *Æserninus* an *Eserninus* (quod *Erasmo* placuit) scribendum sit, haud temere dixerim; quanquam non equidem diffiteor, prius mihi probari, cum *Æsernia* scribitur passim antiqua illa Samnitum urbs in Italia de qua vide *Cluverum* Lib. 3. Geogr. Cap. 28. p. m. 275. Conf. *Caroli Sigonii* Liber de Nom. Rom. pag. m. 1435.

F.

FABIVS SABINVS, Sabini insignis Viri filius, Alexandro Severo a Consiliis, *Cato sui temporis* vocatur a *Lampridio* in vita Severi Cap. 68. at

 quan-

quantum elogium! Conf. *Menagii* Amœnitates Juris Civilis Cap. XXIII.

POLLIVS FELIX, homo eloquentissimus & eruditissimus, sub Domitiano, amicus poëtæ *Statii Papinii* fuit, qui Lib. II Sylv. in Præfatione, de illo: *Pollii mei*, inquit, *Villa Surrentina debuit a me vel in honorem eloquentiæ ejus diligentius dici, sed amicus ignovit.* & Lib. III. itidem in Præfatione ad illum: *Tibi certe Polli dulcissime, & hac, cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime, non habeo probandam diu libellorum istorum temeritatem, cum scias multos ex illis in sinu tuo subito natos, & hanc audaciam stili nostri frequenter expaveas, quoties in illius facundiæ tuæ penetrale seductus, altius literas intro, & in omnes a te studiorum sinus ducor.*

FESTVS POSTVMIVS, Grammaticus (uti videtur) temporibus Hadriani floruit, de quo *Gellius* meminit Lib. XIX. Cap. 13. *Stabant forte una in vestibulo palatii fabulantes Fronto Cornelius, & Festus Postumius & Apollinaris Sulpitius; atque ego ibi assistens cum quibusdam aliis, sermones eorum, quos de litterarum disciplinis habebant, curiosius captabam.* Conf. seqv. ibidem. *Barthius* Adversar. II. cap. 3. *Festum* nostrum *Postumium* eundem esse credit, qui de *Verborum significatione* scripsit, dictus vulgo *Sextus Pompejus Festus.* Sed fallitur sine dubio Vir optimus, cum *Postumius* & *Pompejus* haud temere confundi possunt: fallitur, inquam, quum temporibus Gellii minime vixisse videtur *Festus* posterior, sed sub Imperatoribus Christianis. Vid. *Fabri-*

Fabricii mei Biblioth. Lat. p. m. 764. Conf. Notas *Gronovii* ad Gellium pag. m. 857.

FIDVS OPTATVS, Grammaticus illustris temporibus Hadriani fuit, de quo *Gellius* Lib. II. Cap. 3. *Venit nobis in memoriam, Fidum Optatum multi nominis Romæ Grammaticum ostendisse mihi librum Æneidos secundum, mirandæ vetustatis. Philippus Carolus* Animadvers. in Gellium pag. 118. ignotissimum sibi hoc nomen esse fatetur, adeoque minime pro proprio accipiendum suspicatur, legendum vero *fidum opinatumque multi nominis Grammaticum*, quasi inauditum in historia Romana esset nomen *Optati*, quo utitur apud *Plinium* Lib. IX. c. 17. libertus Claudii, (confer Notas & Emendationes *Harduini* pag. 373) & apud *Cassiodorum* Consul cum Paulino sub Impp. Constantino & Galerio, pag. m. 694. ut Inscriptiones transeam.

FRONTO CATIVS, Orator insignis sub Trajano floruit, de quo *Plinius* Junior Lib. II. Ep. 11. num. 18. *Dixit pro Mario rursus Fronto Catius insigniter. Cellarius*, Vir emendatissimus *Cornelium Frontonem* intelligi putat, sed minus emendate. Vide *Partem I.*

FVRIVS ALBINVS a *Macrobio* Saturnal. Lib. II. Cap. 10. princ. loquens in convivio introducitur cum hoc encomio: *subjecit Furius Albinus, antiquitatis non minus quam Cæcina peritus* - item Lib. VI. Cap. 1. sub init. *Meminimus Viros inter omnes nostra ætate longe doctissimos Furium Cæcinamque Albinos promisisse, se prodituros, quid idem*

Maro de antiquis Romanis scriptoribus traxerit- unde Grammaticum fuisse apparet.

FURNIUS aliquis ab *Horatio* inter doctos sui temporis Viros laudatur Lib. I. Sat. X. v. 86.

Ambitione relegata te dicere possum
Pollio, te Messala tuo cum fratre, simulque
Vos Bibuli & Servi, simul his te candide Furni:
Complures alios, doctos ego quos & amicos
Prudens prætereo-

Intelligo *Furnium* illum, qui Consul cum C. Silano sub Augusto fuit, teste *Cassiodoro* Chron. pag. m. 689. Alius est *Furnius* apud *Ciceronem* Lib. V. ad Atticum Epist. 15. Lib. IX. Ep. 18. Lib. XI. Ep. 8. & ad Familiares Lib. X. Ep. 25. nec non apud *Florum* IV, 12, 51. & *Dionem* Lib. LIV. pag. 599.

FUSCUS SALINATOR, patricius Romanus, eximius Orator fuit sub Trajano, de quo *Plinius* Junior Lib. VI. Ep. 11. *Audivi ex diverso agentes summæ spei summæ indolis juvenes duos, Fuscum Salinatorem & Numidium Quadratum, egregium par, nec modo temporibus nostris, sed litteris ipsis ornamento futurum.* conf. seqv. item Epist. 26. *Ipse* (Fusc. Salinator) *est studiosus, litteratus, etiam disertus*-&c. Conf. porro Lib. VII. Epist. 9. & Lib. IX. Ep. 36, 40. ad *Fuscum*, quem equidem *Salinatorem* nostrum esse nullus dubito, cum quod in his de officio & studio orandi *Plinius* scribit, tum quod Lib. VI. Epist. 26. effuse eum a se amari testatur, tum denique quod Lib. VII. Ep. 9. monet, hortatur, suadet, tanquam rector & magister, quem se a *Salinatore* habitum esse Lib. VI. Ep. 11. declarat. Denique

nique idem vel certe pater Salinatoris nostri esse videtur, qui Consul cum Hadriano fuit sub Imperatore Trajano apud *Cassiodorum* pag. m. 691.

G.

JUL. GENITOR, rhetor sub Trajano clarissimus fuit, amicus *Plinii* Junioris, qui tres ad eum epistolas reliquit. Vid. Lib. III. epist. 11. Lib. VII. Epist. 30. & Lib. IX. Ep. 17. Confer & Lib. III. Epist. 3. in qua Auctor, consultus a Corellia Hispulla de studiis filii rite instituendis, *Genitori* nostro eum tradi jubet, commendata simul hunc in modum Viri sanctitate & eloquentia : *Videor ego demonstrare tibi posse Julium Genitorem, amatur a me - Vir est emendatus & gravis: paulo etiam horridior & durior, ut in hac licentia temporum. Quantum eloquentia valeat, pluribus credere potes: nam dicendi facultas aperta & exposita statim cernitur - Proinde trade eum* (filium) *præceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quæ male sine moribus discitur.*

H.

HARMONIUS, Grammaticus Trevirorum, ab *Ausonio* ita laudatur in Epistola XIIX. ad Ursulum p. m. 230.

Ursule, collega nobilis Harmonio.
Harmonio: quem Claranus, quem Scaurus & Asper,
Qem sibi conferret Varro priorque Crates. &c.

Q. HATERIUS, Consularis, Orator illu-

 stris

ſtris temporibus Tiberii floruit, de quo meminit *Svetonius* in hujus vita Cap. 29. copioſius vero *Tacitus*, quem vide Annal. I. 13. 4. ſeqv. II. 33. 1, III. 57. 3. IV. 61, 2. De hoc noſtro *Haterio* ita judicat *Seneca* Epiſt. 40. pag. m. 117. *Q. Haterii curſum ſuis temporibus oratoris celeberrimi, longe abeſſe ab homine ſano volo. Nunquam dubitavit, nunquam intermiſit: ſemel incipiebat, ſemel deſinebat.* NB. *Suis temporibus*, inquit Seneca, ut alius proinde ſit Q. *Haterius*, quo COS. una cum D. Junio Nero XVI annos natus Octaviam Cæſaris filiam in matrimonium accepit. v. *Tacit.* XII. 58, 1. Taceo *Haterios* alios, *Agrippam*, *Antonium* &c. quibus nullus hic locus eſt ὁμωνυμίας.

HELVIDIUS PRISCUS, Thraſeæ gener, tribunus plebis ſub Nerone fuit, cui *diſertam ſapientiam* tribuit Auctor Dialogi de Orat. Cap. 5. n. 7. Confer *Tacitum* Annal. XII. 13, 16. XIII. 28, 5. XVI. 33, 2. & 35, 1. Hiſtor. II. 91, 3. IV. 4, 5 denique Agricol. 45. 3. Uberiorem *Helvidii* noſtri memoriam nobis invidit Domitianus, qui ut illius nomen extingueret, Herennium Senecionem & Junium Ruſticum extingui juſſit, quorum hic laudes Helvidii, ille de vita ipſius libros ſcripſerat. Vid. *Gerard. Jo. Voſſius* Lib. I. de Hiſt. Lat. p. 154. ſeqv.

HERENNIUS SEVERUS a *Plinio* Lib. IV. Epiſt. XXIIX princ. ita laudatur: *Herennius Severus, Vir doctiſſimus, magni æſtimat in bibliotheca ſua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis & Titi Caſſii*. Meminit & *Suidas* Herennii noſtri pag. m. 327. in Ἕρμιππος Βηρύττιος: *Hermip-*

mippus Berytius, e vico in mediterraneis, discipulus Philonis Biblii, a quo commendatus est Herennio Severo sub Adriano Imperatore. Alius est Ἑρέννιος, quem Origenes seqvutus dicitur *Porphyrio* de vita Plotini Cap. III. pag. m. 97. Taceo *Herennios* alios apud *Fabricium* Bibl. Lat. pag. 97, quibus adde T. *Herennium* (de quo v. *Eutropius* V. 2, 3.) *Herennium Celsum* (v. *Trebellius Pollio* de Triginta Tyrannis cap. 21) *Herennium Nepotem* (v. *Æl. Spartianus* in vita Severi Imp. pag. m. 321) *Herennium Bassum* (v. *Livius* p. m. 211.) *Herennium Samnitem* (v. *Florus* I. 16, 10.) *Herennium* Grammaticum, de quo vide sis *Partem I.*

I.

ANTONIUS JULIANUS. v. *Antonius.*
JULIANUS CELSINUS. v. *Celsinus.*
JULIUS AVITUS. v. *Avitus.*
JULIUS GENITOR. v. *Genitor.*
TERENTIVS JUNIOR. v. *Terentius.*
MAXIMUS JUNIUS. v. *Maximus.*

L.

LÆLIUS aliquis, poëta temporibus Domitiani, Martialis carmina perstrinxit, ad quem proinde *hic* Lib. I. Epigr. 92.

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Cetera nobis ignotissimus.

C. OCTAVIUS LAMPADIO, Grammaticus antiquissimus, eo inprimis nomine memorandus nobis videtur, quod *Nævii bellum Punicum,*

cum, unico volumine & continenti ſcriptura (vide ſis *Ideam* noſtram *Hiſtoriæ Litterariæ Romanorum* p. 78-81.) *expoſitum, in ſeptem libros diviſit*, quæ verba ſunt *Svetonii* de Illuſtr. Gramm. Cap. 2. Quam diviſionem Octavianam ſequutus paſſim eſt *Nonius* (jam Librum *ſecundum* allegans, jam *tertium, quartum, ſextum, ſeptimum*) præter opinionem *Caſauboni*, quem vide in notis ad locum cit. *Svetonii* pag. m. 702. edit. Græv. 1691. in 4to. De nomine *Lampadionis* vid. *Lud. Carrionis* Emendat. Lib. II. Cap. XVI. pag. 174, 175. Conf. & *Lucret.* IV. v. 1158.

LVCIVS ÆLIVS LANUVINVS in album Grammaticorum illuſtrium a Suetonio refertur Cap. 2. *Inſtruxerunt auxeruntque ab omni parte Grammaticam* LVCIVS ÆLIUS LANUVINVS, *gener Quinti Ælii*, SERVIVS CLAVDIVS, *uterque eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in rep. uſus.* ita hunc locum emendavit *Ludovicus Carrio*, quem vide Antiqv. Lect. Comment I. Cap. VIII. pag. 11. 12. 13.

SALVIVS LIBERALIS, Orator gravis ac diſertus a *Plinio* commendatur Lib. II. Epiſt. 11. num. 17. *Poſtero die dixit pro Mario Salvius Liberalis, Vir ſubtilis, diſpoſitus, acer, diſertus: in illa vero cauſa omnes artes ſuas protulit.* conf. Lib. III. Ep. 9. Non multum forte erraverim, ſi *Liberalem* noſtrum eundem eſſe dixerim, de quo meminit *Suetonius* in vita Veſpaſiani Cap. 13. *Salvium Liberalem in defenſione divitis rei, auſum dicere, quid ad Cæſarem, ſi Hipparchus* LLS. *millies habet? & ipſe lau-*

laudavit. Adde hunc *Liberalibus, Æbutio, M. Antonio, Tiberio Claudio*, quorum meminit *Jo. Alb. Fabricius* Bibl. Gr. Lib. III. Cap. XXVII. pag. 679. 680. adde porro *Flavium Liberalem* itidem apud *Svetonium* ibidem cap. 3.

VALER. LICINIANVS, Rhetor fuit ſub Domitiano & Trajano, cujus memoriam poſt *Svetonium* (qui *prætorium* eum Virum tacite appellat in vita Domitiani Cap. 8.) repetit *Plinius* Junior Lib. IV. Epiſt. 11. num 1. *Audiſtine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? - Prætorius hic modo inter eloquentiſſimos cauſarum actores habebatur: nunc eo decidit, ut exul de Senatore, rhetor de Oratore fieret. Itaque* &c. *Licinianum* hunc intelligo apud *Martialem* Lib. I. Epigr. 50. [in Inſcriptione)

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Noſtræque laus Hiſpaniæ.

& Epigr. 62.

Te, Liciniane, gloriabitur noſtra,
Nec me tacebit Bilbilis.

ubi *Liciane* alii utrobique legunt.

LICINIVS SCVRRA, homo litteratiſſimus & eloquentiſſimus ſub Trajano floruit, cui *Plinius altiſſimam eruditionem* tribuit Lib. IV. Epiſtola 30. in qua auctor miram naturam fontis in Comenſi agro narrat, cujus cauſam & ipſe indagat, & Licinio ſuo indagandam commendat. Confer extrema epiſtolæ verba: *Scrutare tu cauſſas, (potes enim) quæ tantum miraculum efficiunt.* Adde Epigramma *Martialis* 46. Lib. VII. quod ita incipit:

Doctorum, Licini celeberrime, summe Virorum,
Cujus prisca graves lingua reduxit avos.

M. LOLLIVS PALICANVS. v. *Palicanus.*

LVCEIVS ALBINUS, Orator disertissimus sub Trajano, clarus inprimis est testimonio *Plinii* Junioris Lib. III. Epist. 9. num. 7. *Aderam Baeticis, mecumque Lucejus Albinus, Vir in dicendo copiosus, ornatus: quem ego quum olim mutuo diligerem, & hac officii societate amare ardentius cœpi.* Conf. Lib. VI. Epist. 10. ad *Albinum*, quem *Lucejum* nostrum esse nullus dubito. Alius vero est *Luceius Albinus*, a Nerone Mauritaniæ Cæsariensi præpositus, &, dum e Tingitana provincia Mauritaniam petiit, in littore trucidatus, de quo vide sis *Tacitum* Histor. II. 58, 2. & 59. 2.

M.

ANINIVS MACER, vid. supra *Aninius.*

POMPEIVS MACER, v. *Pompejus.*

BAEBIVS MACRINVS, v. *Bæbius.*

PLOTIVS MACRINVS, Vir eruditissimus sub Nerone vixit, cui *Persius* Satiram II. inscripsit, quæ ita incipit:

Hunc, Macrine, diem

ad quæ verba vetus Scholiastes: *Alloquitur*, inquit, *Plotium Macrinum, hominem sane eruditum, & paterno se* (Persium) *affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto.* Intelligo *Macrinum*, qui consul cum Gallo sub Nerone fuit. v. *Cassiodori* Chro-

Chronicon pag. m. 690. Alius est *Macrinus* Philologus, de quo *Ausonius* in Commemoratione Profess. Burdigal. XI. p. m. 73.

Sit Macrinus in his
Sobrius in pueris,
Et puerorum
Utilis ingeniis.
Huic mea principio
Credita pueritiës.

MANLIVS VOPISCVS, v. *Vopiscus.*

VICTORIVS MARCELLVS, homo eloquentissimus sub Vespasiano floruit, cui *Librum Quartum Sylvarum* honorifice inscripsit *Papinius Statius.* Lege Præfationem & Carm. IV. ad eundem v. 65.

nec enim tibi sola potentis
Eloquii Virtus- &c.

Idem est *Marcellus Victorius*, ad quem *Quintilianus* Instit. orat. Lib. I. procem. *Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus: quem cum amicissimum nobis, tum eximio litterarum amore flagrantem, non propter hæc modo (quanquam sunt magna) dignissimum hoc mutuæ inter nos caritatis pignore judicabamus, sed quod-* &c. & Lib. VI. procem. *Hæc, Marcelle Victori, ex tua voluntate maxime ingressus-* Conf. Lib. XII. sub finem.

VIBIVS MARSVS, de quo multa prodit *Tacitus* Annal. II. 74. 4. & 79. 2. IV. 56. 4. XI. 10. 1. in album eruditorum referri ab eodem jubetur VI. 47. 4. *Marsus quoque vetustis honoribus & inlustris studiis erat.*

AR-

ARRIANUS MATURIUS v. fupra *Arrianus.*

MAXIMUS JUNIUS, homo eruditus fub Vefpafiano, clarus inprimis eft teftimonio *Statii* in Præfatione Libri IV. Silvarum: *Maximum Junium dignitatis & eloquentiæ nomine a nobis diligi, fatis eram teftatus epiftola, quam ad illum de editione Thebaidos meæ publicavi.* Adde porro ex Carmine VII. ibid. ad Maximum Junium, extr.

Sed tuas artes puer ante difcat,
Omne quis mundi fenium remenfus
Orfa Salluftí brevis, & Timavi
Reddis alumnum.

unde *hiftoriam* fcripfiffe videtur, & ad familiam eorum pertinere, quorum memoriam prætermifit Vir Celeb. *G. Jo. Voffius* in præclaro de Hiftoricis Latinis monumento.

ATEDIUS MELIOR. v. fupr. *Atedius*

MESSALA aliquis clariffimus, fed inter tot Meffalas obfcuriffimus, fub Alexandro Severo floruit, cujus egregiam eloquentiam & eruditionem Imperator ipfe prædicat in Epiftola ad matrem Mammæam, apud *Capitolinum* in Maximino Juniore p. m. 361. *Hæc quidem cogito, fed te tamen confulo, Maximinum Maximini filium generum velis, an Meffalam ex familia nobili, Oratorem potentiffimum, eundemque doctisfimum, & (nifi fallor) in rebus bellicis, fi applicetur, fortem futurum.*

METIUS TARPA, Criticus & auditor asfiduus Poëtarum, carminumque perdiligens æftimator, notus inprimis eft ex illo *Horatii* de Arte Poëtica v. 387. *Si*

Si quid tamen olim
Scripſeris, in Metii deſcendat judicis aureis,
item illo Lib. I. Sat. X. v. 38
hæc ego ludo,
Quæ nec in æde ſonent certantia, judice Tarpa,
ubi *Porphyrion* in notis: *Ii fere*, inquit, *qui ſcenas ſcribebant, ad Tarpam hunc quaſi emendatorem eas afferebant.*

MINERVIVS, Vir doctiſſimus ſub Theodoſio & reliquis Imperatoribus vixit, quem *ſcriptorum* ſuorum *doctisſimum judicem ac ſocium lectionis* vocat *Symmachus* Lib. IV. Epiſt 18. Conf. Ep. 35. usque ad 49. Alius eſt *Minervius* Exconſularis, de quo vid. *Ammianus* Lib. XXVII. p. m. 524. alius porro *Tiberius Victor Minervius* apud *Auſonium* in Commemoratione Profeſſorum Burdigal. pag. m. 63. & hujus filius *Aletius Minervius* pag. 69.

CORNEL. MINUTIANUS, dignus, qui ad tribum eruditorum Romanorum referatur, videtur ex illo *Plinii* Junioris teſtimonio Lib. VII. Ep. 22. *Eſt Cornelius Minutianus, ornamentum regionis meæ ſeu dignitate ſeu moribus. Natus ſplendide, abundat facultatibus, amat ſtudia, ut ſolent pauperes.*

N.

CALVISIUS NEPOS. v. *Calviſius.*

TIBERIUS CLAUDIUS NERO, pater Tiberii Cæſaris, clarum fuit & illuſtre inter erudita ſui temporis ingenia nomen, de quo *Vellejus Paterculus* II. 75. 1. *Per eadem tempora exarſerat in Cam-*

Campania bellum, quod professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Tib. Claudius Nero, prætorius & Pontifex, Tib. Cæsaris pater, magni vir animi doctissimique ingenii. Alia de hoc *Nerone* vide apud *Svetonium* in vita Tiberii Cap. 4.

BRUTIDIUS NIGER. v. *Brutidius.*

NUMIDIUS QUADRATUS, Orator præclarus sub Trajano floruit, de quo *Plinius* Junior Lib. VI. Epist. 11 *O diem lætum! adhibitus in consilium a præfecto urbis, audivi ex diverso agentes summæ spei, summæ indolis juvenes duos, Fuscum Salinatorem & Numidium Quadratum, egregium par, nec modo temporibus nostris, sed litteris ipsis ornamento futurum. Mira utrique probitas, constantia salva, decorus habitus, os planum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, judicium æquale*-Conf. seqv. ib. & Epist. 29. ad Qvadratum, nec non Lib. VII. Ep. 24. & Lib. IX. Epist. 13. Idem forte sive pater hujus est *Quadratus*, Consul cum Candido sub Trajano, apud *Cassiodorum* Chron. p. m. 690. Quadratum nostrum graviter postea insectatus est Hadrianus, teste *Spartiano* in hujus Vita Cap. 15. Alius est, *Asinius Quadratus*, historicus, apud *Suidam*, *Capitolinum* & *Vulcatium*, de quo vid. *Vossius* de Hist. Græcis Lib. II. Cap. XVI. p. 239- alius *Ninnius Quadratus* apud *Dionem*, alius porro *Quadratus* sub Hadriano apud *Hieronymum* de Viris Illustribus Cap. XIX. p. m. 84. *Honorium* Augustodunensem Lib. I. Cap. 20. pag. m. 74. *Eusebium* IV. 3. aliosque.

O.

C. OCTAVIVS LAMPADIO. v. *Lampadio.*

OCTAVIVS TEVCER, Grammaticus sui temporis notissimus, in Gallia Togata docuit, teste *Svetonio* de Ill. Gr. cap. 3.

P. OPPIVS, Orator eximius, a *Quintiliano* laudatur Lib. VI. Cap. 3. pag. m. 358. *Quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, cum assidue minores parentibus liberi essent in nascendo, decrescere genus Lentulorum.* Alius est C. *Oppius* historicus apud *Svetonium* in Jul. Cæs. Cap. 56. *Plinium* Lib. IX. H. N. c. 45. *Gellium* Lib. VII. c. 1. & Lib. XVII. Cap. 9. &c. alius *Oppius Chares* apud *Tranquillum* de Ill. Gr. c. 3. *Festum* &c.

FIDUS OPTATUS vid. *Fidus.*

P.

SERVIVS PAETVS, frater Papirii Pæti, Criticus litteratissimus fuit, de quo *Cicero* Lib. IX. ad Familiares Epist. 16. *ut Servius frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est, quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum & consuetudine legendi*-Bibliothecam apparatissimam habuit, quam sibi donatam fuisse testatur Idem Lib. II. ad Atticum Epist. I. sub finem: *Pætus, ut antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donavit, hoc illius munus in tua diligentia positum est - si me amas, cura ut conserventur & ad me perferantur, hoc mihi nil potest esse gratius.*

M.

M. LOLLIVS PALICANVS, homo artis rhetoricæ ſtudioſus ſub Auguſto floruit, ad quem *Horatius* Lib. I. Epiſt. 2. princ.

Trojani belli Scriptorem, Maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi :

Conf. Epiſt. 18. ad eundem & Lib. IV. Od. 9. item Notas *Acronis* & *Porphyrionis* ibidem, *Tacit.* Annal. III. 48. 4. XII. 1. 3. *Vell. Patercul.* II. 102. 1. nec non HiſtoriamCiceronis deſcriptam a *Franc. Fabricio Marcodurano* p. m. 15.

PEDIVS POPLICOLA, Orator eximius ſub Auguſto cauſas egit, de quo *Horatius* Lib. I. Sat. 10. v. 28. *Latine*

Quum Pedius cauſas exſudet Poplicola atque Corvinus-

ubi *Acron* in Notis: *Pedius Poplicola*, inquit, *& Meſſala Corvinus oratores fuerunt, qui obſervaverunt, ne Græcis ſermonibus uterentur: erant autem fratres cauſidici optimi.*

PHOEBITIVS, Philologus Burdigalenſis, celebris inprimis eſt Carmine XI. *Auſonii* in Commemoratione Prof. Burd. p. m. 73.

Nec reticebo ſenem
Nomine Phœbitium :
Qui Beleni æditưus
Nil opis inde tulit.
Sed tamen ut placitum,
Stirpe ſatus Dryadum,
Gentis Aremoricæ
Burdigalæ Cathedram
Nati opera obtinuit.

M.

M. PVPIVS PISO. v. infra *Pupius*.

PITVANIVS, Vir pereruditus & Græcis litteris deditus, temporibus Ciceronis floruit, de quo vide Librum IV. ad Atticum Epist. 15. Alius est, credo, *Pituanius* apud *Tacitum* Annal. II. 32. 5. *Facta & de Mathematicis Magisque Italia pellendis Senatusconsulta, quorum e numero L. Pituanius saxo dejectus est.*

POLLIO aliquis, insignis Grammaticus, M. Antoninum Philosophum erudivit, de quo vide sis *Capitolinum* in hujus vita Cap. 2.

POMPEIVS MACER, homo eruditus, sub Augusto floruit, qui *Bibliothecas* illi *ordinandas delegaverat*, teste *Svetonio* in vita Juli Cæsaris Cap. 56. extr. Prætor fuit sub Tiberio, ut auctor est *Tacitus* Annal. I. 72. 5. *Mox Tiberius consultante Pompejo Macro prætore, an judicia majestatis redderentur? exercendas leges esse respondit.*

POMPEIVS QVINCTIANVS sub Trajano vixit, Vir doctissimus & disertissimus, testimonio *Plini* Junioris Lib. IX. Epist. 9. *Is fuit Quinctianus, quem diligi deceat exemplo ipsius. Felices amabat, miseros tuebatur, desiderabat amissos. Jam illi quanta probitas in ore! quanta in sermone cunctatio? quam pari libra gravitas comitasque? quod studium litterarum? quod judicium?* Cellarius *Quinctianum* nostrum eum esse putat, (& recte, credo, putat) ad quem *Martialis* Lib. I. Epigr. 53.

Commendo tibi, Quinctiane, nostros,
Nostros dicere si tamen libellos
Possim-

L Conf.

Conf. Lib. V. Epigr. 18. Patrem forte habuit *Quinctianum Afranium*, de quo vide *Tacitum* Annal. XV. 49. 4. & 56. 3. item 70. 2.

POMPONIVS BASSVS, Vir excellens, qui magistratus amplissimos gesserat, exercitum rexerat, &c. in eruditis censetur & commendatur ab amico *Plinio* Lib. IV. Epist. 23. *Magnam cepi voluptatem, quum ex communibus amicis cognovi, te, ut sapientia tua dignum est, disponere otium & ferre, habitare amœnissime - multum disputare, multum audire, multum lectitare, quumque plurimum scias, quotidie tamen aliquid addiscere.* Alius est *Pomponius Bassus* sub Imperatore *Divo Claudio* apud *Sextum Aurelium Victorem* in Historiæ Augustæ Epitome p. m. 632.

FESTVS POSTVMIVS, v. *Festus.*

M. PVPIVS PISO, Orator illustris, a *Cicerone* memoratur in Oratione contra L. Pisonem: *Irrisa est a te paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi:* ubi *Asconius Pedianus* in Notis pag. m. 165. „Quis hic M. Piso fuerit, credo vos ignorare; fuit „autem, ut puto jam nos dixisse, Pupius Piso, eis„dem temporibus, quibus Cicero, sed tanta ætate „major, ut adolescentulum Ciceronem pater ad e„um deduceret, quod in eo & antiquæ vitæ simili„tudo & multæ erant litteræ. Orator quoque me„lior quam frequentior, habitus est, biennio tamen „serius, quam Cicero, Consul fuit: triumphavit „pro Consule de Hispanis, Q. Hortensio, Q. Metel„lo Cretico Coss. ante Ciceronis Consulatum.

Q. NV-

Q.

NVMIDIVS QVADRATVS. v. *Numidius.*

POMPEIVS QVINCTIANVS v. *Pompejus.*

QVINTVS VARGONTEIVS. v. *Vargontejus.*

S.

SALVIVS LIBERALIS. v. *Liberalis.*

SCAVRINVS, Scaurini filius, Grammaticus Romæ celeberrimus fuit temporibus Alexandri Severi, qui præceptore eo usus est, teste *Lampridio* in hujus vita cap. 3.

SCAVRVS Junior, clarus Grammaticus fuit, quem Verus Imperator audivit. Vide *Capitolinum* in vita hujus cap. 2. De *Scauro* patre alii affatim dixerunt.

LICINIVS SCVRRA. v. *Licinius.*

SERVIVS CLAVDIVS sive CLODIVS, eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in Rep. usus, artem Grammaticam apud Romanos ab omni parte instruxit auxitque, quæ verba sunt *Svetonii* de Illustr. Gr. Cap. 2. Confer historiam, quam de eo narrat Idem ibidem Cap. 3. Scilicet *Servius cum librum soceri nondum editum fraude intercepisset & ob hoc repudiatus pudore ac tædio secessisset ab urbe, in podagræ morbum incidit: cujus impatiens veneno sibi perunxit pedes & enecuit ita, ut parte ea corporis quasi præmortua vixerit.* Cu-

jus historiæ auctorem Svetonius sine dubio habuit *M. Terentium Varronem*, quem *Plinius* profitetur Lib. XXV. H. N. Cap. 3.

HERENNIVS SEVERVS. v. *Herennius*.

SILVINVS, rhetor, sub Antonino Heliogabalo vixit, de quo meminit *Ælius Lampridius* in hujus vita cap. 16. *Removit & Silvinum rhetorem, quem magistrum Cæsaris fecerat. Et Silvinus quidem occisus est*.

SVCVRO, Philologus Burdigalensis clarus in primis est Carmine XI. *Ausonii* in Commemoratione Prof. Burd. p. m. 74.

Et libertina
Sucuro progenies,
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas.

T.

METIVS TARPA v. *Metius*.

TERENTIVS JVNIOR, Vir admodum eruditus & utraque lingua doctissimus, sub Trajano floruit, de quo *Plinius* Lib. VII. Epist. 25. *Terentius Junior, equestribus militiis atque etiam procuratione Narbonensis provinciæ integerrime functus, recepit se in agros suos, paratisque honoribus tranquillissimum otium prætulit. Hunc ego, invitatus hospitio, ut bonum patremfamiliæ, ut diligentem agricolam intuebar, de his loquuturus, in quibus illum versari putabam: & cœperam, quum ille me doctissimo sermone revocavit ad studia. Quam tersa omnia? quam Latina? quam Græca? Nam tantum*

tum utraque lingua valet, ut ea magis videatur excellere, quam cum maxime loquitur. Quantum ille legit? quantum tenet? Athenis vivere hominem, non in villa, putes. Conf. Lib. VIII. Epiſt. 15. ubi *Plinius* Terentium noſtrum Criticum & operum ſuorum emendatorem profitetur, nec non Lib. IX. Epiſt. 12.

TEVCER. v. *Octavius Teucer.*

TIBERIVS CLAVDIVS NERO. v. *Nero.*

TIBERIVS VICTOR MINERVIVS v. ſupr. *Minervius.*

T. TINCA PLACENTINVS, Orator memoria Ciceronis fuit, quem Hortenſius reprehendit apud *Quintilianum* Lib. I. Cap. 5. *Duos in uno nomine faciebat barbariſmos Tinca Placentinus (ſi reprehendenti Hortenſio credimus) preculam pro pergulam dicens, & immutatione, cum c pro g uteretur, & transmutatione, cum r præponeret e antecedenti.* Dictus videtur *Placentinus* a *Placentia*, urbe Italiæ, de qua *Plinius* Lib. III. H. N. Cap. 15. Conf. *Cicero*, qui Lib. de Clar. Orat. p. m. 246. *Tincam* noſtrum *hominem facetiſſimum* vocat, & *cum Q. Granio præcone dicacitate certantem.*

TITVS VETVRIVS v. *Veturius.*

TROSIVS APER, in Grammaticis ſui temporis illuſtris fuit, quo præceptore uſus eſt M. Antoninus Philoſophus, teſte *Capitolino* in vita hujus Cap. 2.

V.

Q. VARGONTEIVS, Grammaticus sui temporis præclarus, in Libros divisit Ennii Annales, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat. Vid. *Suetonius* de Ill. Gr. cap. 2. Pro *Vargontejus* sive *Varguntejus* legitur nonnusquam *Varguntius*, quod *Casaubono* merito displicet. Certe *Varguntejorum* haud obscurum nomen est in historia Romana, maxime in conjuratione Catilinæ, qui socium habuit *Varguntejum* teste *Floro* IV. 1. 3. Conf. Sallust. de Bello Catil. p. m. 42. 77. 78.

VECTIVS aliquis notus nobis est ex reprehensione Lucilii apud *Quintilianum* Lib. I. Cap. 5. *Taceo de Tuscis & Sabinis & Prænestinis quoque. nam ut eorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur*-Hunc ego eundem *Vectium* (professione, credo, Grammaticum) esse puto, de quo *Suetonius* meminit Cap. 2. de Illustr. Gramm. Alius est *Vectius Messius* apud *Livium*, *Vectius Marcellus* apud *Plinium* H. N. Lib. XVII. Cap. 25. *Vectius Valens* apud *Tacitum* Annal. XI. 30, 2. & sæpius, item *Vectius Bolanus* apud eundem Hist. II. 65. 5. ut de aliis porro quamplurimis taceam.

VELLEIVS CELER, Grammaticus eximius, sub Hadriano vixit, cujus ad egregium honorem pertinet, quod de eo refert *Priscianus* Lib. X. extr. pag. m. 418. *Sed Vellejus Celer respondens Hadriano imperatori, per epistolam de hoc* (voce *ambitus*) *interroganti, declinatione & tenore ambitus nomen a participio ostendit discerni.*

CLAV-

CLAVDIVS VENATVS v. *Claudius.*

VERGINIVS FLACCVS, Rhetor, temporibus Tiberii &c. eminuit, apud quem Persius studuit. Vide hujus Vitæ auctorem.

M. VESTINIVS, Orator (cujus ætatis, nescio) laudatur apud *Fabium* Lib. VI. Cap. 3. p. m. 358. *Et hoc ex eodem loco est, sed nulli priorum simile, quod dixit Marcus Vestinius.*

TITVS VETURIUS, litterator, quo usus est Alexander Severus Imperator, memoratur *Ælio Lampridio* in hujus vita Cap. 3. aliis L. *Veturius* dictus.

VIBIUS MARSUS v. *Marsus.*

VICTORIUS MARCELLUS. v. *Marcellus.*

MANLIUS VOPISCUS quantum de bonis litteris meruerit, suo tempore (sub Domitiano) fere collapsis, testis est *Statius* in Præfatione Libri I. Sylvarum pag. m. 6. *Manlius certe Vopiscus, Vir eruditissimus, & qui præcipue vindicat a situ litteras jam pene fugientes.*

L. STATIUS URSULUS, Tolosensis, illustris Rhetor sub Nerone, celeberrime in Gallia Rhetoricam docuit, quæ verba sunt *Cassiodori* in Chron. pag. m. 690. Confer Notas *Gevartii* ad Statii Præfationem Libri I. Sylvarum pag. m. 2. 3. Alius est *Ursulus*, Grammaticus Trevirorum, ad quem Epistola *Ausonii* exstat XVIII. pag. m. 229. quæ ita incipit:

Primus jucundi fuit hic tibi fructus honoris &c.

URSUS aliquis a' *Statio* commendatur in Præfatione Libri II. Sylvarum : *Ad Ursum quoque nostrum , juvenem candidissimum & sine jactura desidiæ doctissimum, scriptam de puero amisso Consolationem, super ea, quæ ipsi debeo, huic libro libenter inserui-Ursum* intelligo eum, ad quem *Plinius* Junior scripsit Lib. IV. Epist. 9. Lib. V. Epist. 20. Lib. VI. Ep. 5. & 13. Lib. VIII. Epist. 9.



PARS III.

DE

MONUMENTIS

QVIBVSDAM

ROMANIS,

QVORVM

VEL AVTORES IGNORANTVR
VEL TITVLI TANTVM SVPERSVNT,

ITEM DE

FRAGMENTIS

&c.

PRÆFATIO

AD

PARTEM TERTIAM.

QUod naufrago contingit apud *Juvenalem* Sat. XIV. v. 303. qui *mersa rate*,

picta se tempestate tuetur,

id & quamplurimis ingeniorum Romanorum monumentis accidit, quibus violenta temporis necessitas vel nihil prorsus vel tabulas tantum, id est, titulos & Inscriptiones superesse voluit. Scilicet & hoc misericordiæ genus est, nomen cum homine non exstingui. Atque utinam justum modo Titulorum Indicem nobis fata reliquissent! Certe naufragium Librorum & Capitum levius quodammodo ferremus. Utinam, inquam, Romanis Veteribus in usu fuisset ea titulorum ostentatio, ea allegationum luxuria, quam in ætatis nostræ Scriptoribus merito reprehendunt Sapientiores! utinam deniq; tantundem Ephemeridum Litterariarum ea tempora circumfluxisset atque ad nos pervenisset, quantum die in quolibet fere orbis litterati trivio

con-

confluit! Certe Bibliothecam Titulorum haberemus. Verum enimvero ut eam Romanorum Veterum ſtudioſam parſimoniam minime miramur, qui velut lege quadam & ſacramento obſtricti, Scriptorum ſuæ ætatis aut teſtimoniis uti aut mentionem habere nunquam vel ſane rarisſime ſolebant, ita hoc argumenti genus a recentioribus non occupatum eſſe merito miramur. Hic fragmenta Poetarum collegit, ille Hiſtoricorum &c. nemo, quod equidem ſcio, monumenta incertorum Auctorum eorumque Inſcriptiones. Quod equidem inſtitutum intereſſe omnino eorum exiſtimo, qui Hiſtoriæ Romanorum Litterariæ diligentius vacant, eorumque in litteras merita exquiſitius cognoſcere avent. Sed dent illi mihi veniam, quam libenter peto: ego vicisſim libentisſime dabo, memor, quod ait *Seneca* Epiſt. 33. *multum etiam futuris relictum eſſe*, id eſt, non modo hanc materiam a ſolertisſimis Scriptoribus mihi reſervatam eſſe, ſed & ſpicilegium aliis poſt hanc meſſem ſuperfuturum. Vale LECTOR, mihi & bonis omnibus, ut æqvum eſt, æquisſime.

A. ACTA

A.

ACTA Romanis dicta sunt, quæ res singulis diebus gestas eventuumque memorabilium memoriam perscriptam continebant, ut

ACTA VRBIS DIVRNA, de quibus vide *Lipsium* ad Taciti Lib. V. Annalium & *Bæclerum* de *Actis Civitatis.*

ACTA PVBLICA, ad quæ provocare videtur *Tertullianus* Apologet. CXXI. *Eum mundi casum* (loquitur de sidere, quod nativitatem Christi significavit, de terræ motu & solis deliquio) *relatum in arcanis vestris habetis.* Conf. *Grotius* de Veritate Religionis Christ. Lib. III. §. XIV. pag. m. 166. *Svetonius* in vita Tiberii cap. 5. *Julius Capitolinus* in Gordianis tribus pag. m. 362. *Tacitus* Annal. XII. 24, 4. *Plinius* Junior Lib. V. Epist. 14. n. 8. & Panegyr. LXXV. 1. Quæ quidem Acta *Ælius Lampridius* in Vita Commodi Antonini *Monumenta publica* vocat pag. m. 312. *Ludum semper ingressus est; & quoties ingrederetur, publicis monumentis indi jussit.* Alia de Actis Publicis eorumque custodia quære apud *Gulielmum Ranchinum* Lib. I. Var. Lect. Cap. VII. pag. m. 14. 15. edit. Schminck. 1717.

ACTA BELLI, de quibus meminit *Vegetius* Lib. II. de Re Mil. Cap. 19. *Totius enim legionis ratio sive obsequiorum sive militarium numerorum sive pecuniæ quotidie adscribitur actis.* Conf. *Stevvechii* Notas ibid. pag. m. 196. *Svetonium* in vita

vita Cæsaris Cap. 37. & *Quæstiones* nostras *Romanas* de Librariis in Bello pag. 146.

ACTA SENATVS sive PATRVM apud *Svetonium* in vita Augusti Cap. 5. & 36. Tiberii Cap. 73. Cæsaris Cap. 20. *Tacitum* Annal. XV. 74, 4. & V. 4, 1. *Symmachum* Lib. III. Epist. 38. (qui *Acta Ordinis amplissimi* vocat; ita enim dictus est ordo Senatorius. v. *Sveton.* in Vespasiano c. 2. & *Cicer.* pro Milone c. 2. Conf. *Budæi* Annotationes in Pandectas p. m. 199. seqv. & 253. 328.) *Lampridium* in Alexandro Severo Cap. XI. pag. m. 353. *Spartianum* in Hadriano Cap. III. pag. m. 288. *Fl. Vopiscum* in Probo pag. m. 400. de quibus conferri possunt *Lipsius*, *Dodvvellus*, alii.

ACTA PRINCIPVM, cujusmodi memorabilia sunt Acta *Servii Tullii* apud *Livium* Lib. I. Cap. 60. *Acta Cæsaris* (v. *Serv.* in XI. Æneid. v. 743. *Symmach.* Lib. IV. Epist. 18. & *Gerard. Jo. Vossius* de Hist. Lat. Lib. I. Cap. 13. pag. 64.) *Tiberii* (v. *Sveton.* Cap. 26. 61. & in vita Domitiani cap. 20. &c.) *Augusti* (v. *Tacit.* Annal. IV. 42, 5. & XVI. 22. 6. & *Plin.* l. VII. H. N. c. 13.) *Caji Caligulæ*, (v. *Sveton.* in vita Claudii c. 11.) *Claudii* (v. *Tacit.* Annal. XIII. 43, 4.) *Vitellii* (v. *Tertullianus* de Anima p. m. 347.) *Valeriani* (v. *Vopiscus* in Aureliano p. m. 390.) &c. conf. *Bœcler*. in Taciti primord. Annal. I. 7. p. 203 *Pitisc.* in Sveton. Tiber. xxvi. 5. 9. alios.

ACTA TRIVMPHORVM, quæ a *Plinio* citantur Lib. I. in Indice Lib. V. X. & XXXVII. Confer *Harduinum*, qui in Indice Auctorum Plinii pag. 92. *Videntur*, inquit, *esse ea Tabula Consulares* &

& Triumphales, quarum fragmenta exstant apud Onuphrium Panvinium. Auctorem illarum sunt qui Verrium Flaccum putent: etsi ille Tiberii principatu obiit. Verum *Harduinus* non videtur animadvertisse locum *Plinii* Lib. XXXVII. cap. 2. sub initium, qui *Pompeji* tantum *Acta Triumphorum* attingit. Verba auctoris sunt: *Id uti plenius noscatur, verba ex ipsis Pompeji triumphorum actis subjiciam* &c. de quibus porro *Suetonius* meminit in vita Cæsaris Cap. 19. *Qua maxima injuria instinctus, omnibus officiis Cn. Pompejum affectatus est, offensum patbrius, quod Mithridate rege victo, cunctantius confirmarentur acta sua-*

ACTIONES (*forenses* puto) a *Varrone* laudantur Lib. VI. de L. Lat. p. m. 80. „Ideo in A-„ctionibus videmus dici, *Quam rem sive litem dice-„re oportet*„. Intelligit forte *Actiones Cosconii*, de quibus meminit Lib. V. pag. 62. *Cosconii*, inquam, de quo vide *Vossium* Lib. III. de Hist. Lat. pag. 700. Porro *Actiones Civiles* memorat *Gellius* Lib. II. cap. 6. *In Actionibus Civilibus auctor laudari dicitur, quod est nominari.* (quæ verba repetit *Macrobius* lib. VI. Sat. Cap. 7) Adde ex Libro XX. Cap. 10. princ. EX. JURE. MANUM. CONSERTUM. *verba sunt ex antiquis actionibus.* & mox ib. *In medio rerum & hominum qui vitam colunt, ignorare non oportet verba actionum civilium celebriora.*

ACTORUM UNDECIM LIBRI. Auctor Dialogi de Orat. Cap. 37. n. 1. *Nescio an venerint in manus vestras hæc Vetera, quæ & antiquo-*

quorum bibliothecis adhuc manent, & nunc maxime a Muciano contrahuntur, ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris & tribus Epistolarum composita & edita sunt. Ex his intelligi potest Cn. Pompejum & M. Crassum non viribus modo & armis, sed ingenio quoque & oratione valuisse - &c. Intellige *Licinium Mucianum*, de quo meminit *Vossius* Lib. I. de Hist. Lat. Cap. 27. pag. 141. & nos supra *Parte I.*

ANNALES MAXIMI. v. *Commentarii Pontificum.*

ANTHOLOGICON LIBRI. *Plinius* lib. XXI. Hist. Nat, Cap. 3. sub finem: *De floribus supra dictos* (id est, præter laudatos Scriptores) *scripsit Theophrastus apud Græcos. Ex nostris autem* (Romanis) *inscripsere aliqui libros Anthologicon: flores vero persecutus est nemo, quod equidem inveniam.* Intellige *Libros floridorum* (quales reliquit *Apulejus*) quibus sententiæ historiæ & similes deliciæ ex variis auctoribus collectæ continentur, cujus generis sunt Libri Ἀνθηρῶν apud *Gellium* de Inscriptionibus Librorum in Præfatione Noctium Atticarum p. m. 5. item *Joannis Stobæi* Ἀνθολόγιον sive *florilegium* ἐκλογῶν, ἀποφθεγμάτων, ὑποθηκῶν, de quo vid. *Photius* Cod. CLXVII. *Suidas* p. m. 410. & unus instar omnium *Fabricius* meus Bibl. Gr. Lib. V. Cap. 30. pag. 666. seqv. ut plures hujusmodi Collectaneorum titulos omittam.

ARTIUM titulo libros inscripserunt Romanorum quidam, teste *Plinio* Lib. I. Hist. Nat. in Præfatione ad Vespasianum p. m. 9. *Nostri crassiores, Antiquitatum,* (ut Varro) *Exemplorum* (ut Vale-

Valerius Maximus, Nepos, Frontinus, Hyginus) *Artiumque*, sc. inscripsere. Intelligo Libros de Artibus rhetoricis, cum *Quintiliano* Lib. VIII. proœm. pag. m. 429. *Unde existimant accidisse, ut qui diligentissimi Artium Scriptores extiterunt, ab eloquentia longissime fuerint.* Conf. Lib. III. Cap. 1. p. m. 139. de *antiquissimis Artium Scriptoribus.* Adde ex Capite XI. ibidem sub finem pag. m. 198. *Et quoniam quæ de his erant a Scriptoribus artium tradita, verbosius etiam, quam necesse erat, exposuimus* &c.

ARVSPICINÆ, sive ARVSPICVM LIBRI a *Servio* citantur ad Librum VIII. Æneidos v. 398.

Nec pater omnipotens Trojam nec fata vetabant
Stare.

Verba *Servii* sunt pag. m. 530. *sciendum secundum aruspicinæ libros & sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur*, (vide *Lindenbrogium* in Notis ad Censorinum pag. m. 98) *fata decem annis quadam ratione differri.* Alio nomine idem Servius *Libros aruspicinæ* vocat *Libros Etruscorum*, sive *de Etrusca disciplina* ad Librum I. Æneid. v. 46, 426, 737. Lib. III. v. 537. Lib. VIII. v. 398. item Eclog. IV. v. 43. Etruscos enim aruspicinæ peritissimos magistros fuisse, nemo in humanioribus quantillum versatus ignorat. Ceterum de Scriptoribus Etruscæ disciplinæ videri potest *Idea* nostra *Historiæ Litterariæ Romanorum* Lib. I. Cap. IV. Quæst. VII. pag. 99, 100. Conf. *Isidor.* Lib. VIII. Orig. Cap. IX. extr. ubi male *Stages* pro *Tages* dicitur, cujus Libros Ro-

mani ex Etrusca lingua in propriam converteterunt; item *Valer. Max.* I. 1, 1. & *Cicero* Lib. I. de Divinat. p. m. 1214. & in Orat. adversus P. Clodium, quorum loca in Quæstionibus Romanis exhibuimus pag. 235. seqv.

ATTELLANÆ Poëta incertus, quem ob ambigui joci versiculum media amphitheatri harena igni cremavit Caligula, memoratur *Svetonio* Cap. 27. De Attellanarum fabularum origine, differentia a Satyris &c. vide *Gyraldum* de Poëtis Dialog. VI. p. m. 697, 698. *Jo. Baptistam Pium* Annotat. Poster. c. 71. p.m. 479. & *Jac. Nicol. Loensem* Miscell. Epiphill. lib. II. c. 12. p. m. 317, 318. De Scriptoribus Attellanarum, L. *Pomponio*, *Novio*, *Memmio*, aliis, consuli possunt, qui de Poëtis scripserunt.

AUGURALES LIBRI, quibus augurio- rum disciplina continebatur, a *Seneca* allegantur Epist. CVIII. p. m. 484. *Hodieque id exstat in Auguralibus Libris.* Adde Fragmenta ex *Varrone* de L. Lat. Lib. IV. p. m. 9. TERRA *dicta ab eo, ut Ælius scribit, quod teritur. itaque* TERA *in augurum libris scripta cum R uno.* & Lib. VI. p. m. 74. *Libri augurum pro tempore Tempestatem dicunt, id est supremum augurii tempus.* adde ex *Servio* ad Librum III. Æneid. v. 537. pag. m. 308. *Multi de libris augurum tractum tradunt. Iugetis enim dicitur augurium, quod ex junctis jumentis fiat.* ad lib. IV. v. 45. *Ipsa* (Juno) *in libris Augurum præesse dicitur auspiciis.* ad Lib. IX v. 20. p. 554. *In Auguralibus libris inter ostenta etiam cælum discessisse dicitur.* Taceo Libros Augurales *Appii Pulchri*, de quibus *Cicero* lib. III. Famil. Ep. 4. ad ipsum Appium: *Mihi*

Mihi & Q. Fabius Virgilianus demonstravit, me a te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis jam antea judicaram, maximeque illo libro (nempe primo vel secundo aut alio aliquo) *augurali, quem ad me amantissime scriptum, suavissimum misisti.* item Epist. 11. ibidem ad eundem: *Augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serva-nunc tamen, ut ipse pollicerris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omnes exspectabo.* Conf. Lib. X. ad Atticum Epist. 7. Taceo porro fragmentum, quod ex Appii Pulchri Auguralis disciplinæ Libro primo servavit *Festus* in *Sollistimum*, relatum superius Part. I. in *Appius Pulcher.* Taceo denique Libros *Nigidii Figuli*, quorum primum *Augurii privati* allegat *Gellius* Lib. VI. cap. 6. item *Varronis* apud *Macrobium* Lib. I. Saturnal cap. 16. p. m. 266. nec non *Ennii* de *Augurandi disciplina* apud *Svetonium* Cap. I. de Ill. Gr. extr.

AUSPICIORUM sive *de* AUSPICIIS *Libros* scripserunt Augures Populi Romani, quos allegat *Gellius* Lib. XIII. Cap. 14. princ. „*Pomœrium* quid esset, augures Populi Romani, qui libros de „auspiciis scripserunt, istiusmodi sententia defini-„erunt: *Pomœrium est locus intra agrum effatum „per totius urbis circuitum pone muros regionibus „certis determinatus, qui facit finem urbani auspi-„cii,*„ Cujusmodi fuerunt libri *Messalæ* apud eundem ibidem Cap. 15. *Super hac re meis verbis nihil opus fuit: quoniam liber M. Messalæ auguris de auspiciis primus, quum hoc scriberemus, forte adfuit.* Confer fragmenta, quæ ibid. sequuntur.

B.

BELLI ACTA. v. *Acta Belli*

C.

CÆRIMONIARUM LIBRI, v. *Rituales Libri.*

CANTILENA *Veterum Poetarum de Canide & Caneo* laudatur *Gellio* Lib. IX. Cap. 4. *Verba igitur hæc, quæ infra posui, ipsius* (Plinii) *sunt, ex eo libro* (Historiæ Naturalis) *sumta: quæ profecto faciunt, ut neque respuenda neque ridenda sit notissima illa Veterum poetarum de Canide & Caneo cantilena.* Confer notas *Jacobi Gronovii* p. 436. & Rhodigini Lect. Antiqv. Lib. XXI. Cap. 16.

CARMINVM VETVSTISSIMORVM LIBER a *Macrobio* citatur Lib. V. Saturn. Cap. 20. extr. *In Libro Vetustissimorum Carminum, qui ante omnia, quæ a Latinis scripta sunt, compositus ferebatur, invenitur hoc rusticum Vetus Canticum:* HIBERNO POLVERE, VERNO LVTO GRANDIA FARRA CAMILLE METES. Confer *Ideam* nostram *Historiæ Liter. Romanorum* pag. 5. & *Scaligeri* Conjectanea ad Varronem de L. Lat. pag. 120. Eadem credo, Carmina respicit *Festus* in Verbo *Obstinet*: OBSTINET *dicebant antiqui, quod nunc Ostendit, ut in Veteribus Carminibus: sed jam se cælo candens aurora obstinet suum patrem.*

CHORVS PROSERPINÆ. vid. *Proserpinæ Chorus.*

CHRO-

CHRONICI LIBRI *Gellio* citantur Lib. XVII. Cap. 21. *Ut ab istiusmodi temporum ætatumque erroribus caveremus, excerpebamus ex libris, qui chronici appellantur, quibus temporibus floruissent Græci simul atque Romani Viri, qui vel ingenio vel imperio nobiles insignesque post conditam Romam fuissent ante secundum bellum Carthaginiensium.* Intelligit autem Auctor ex Romanis præcipue Chronicos *C. Nepotis* libros, quos ibidem non semel allegat. Conf. *Auson.* Epist. XVI. ad Probum pag. m. 222. & *Vossius* de Histor. Lat. pag. 70.

CIBORVM *quorundam laudes a medicis scriptæ* v. LAVDES &c.

COMMENTARII Varii, obscuræ memoriæ, in scriptis Veterum delitescunt, quos in solem, quod ajunt, & pulverem producere juvat, ut sunt

COMMENTARIVS incerti Auctoris in *Virgilium* apud *Servium* ad Librum VII. Æneid. v. 543. pag. 489. *Dicit etiam quidam Commentarius* convecta *legendum*, sc. in illo Virgilii:

Deserit Hesperiam, cœli convexa per auras

quem *Commentarium* & *Gellius* forte intelligit lib. VII. Cap. 20. princ. *Scriptum in quodam commentario reperi Versus istos a Virgilio ita primum esse recitatos atque editos* (nempe Lib. II. Georg. v. 224)

Talem dives arat Capua & vicina Vesevo
Nola jugo.

Conf. seqv. ibidem, quibus recensendis studio brevitatis supersedemus.

COMMENTARII (in *Ennium*) apud *Gel-*

lium Lib. XIIX, Cap. 5. extr. *ſed eadem ipſa poſt etiam in pervulgatis commentariis ſcripta offendimus* nempe quod Ennius *eques* ſcripſerit in annali ſeptimo pro *equus*. Quinam autem veterum Grammaticorum Annales Ennii commentationibus illuſtrarint, prorſus ignoro. Nam Q. *Vargonteius* certis tantum diebus eos in magna frequentia pronuntiaſſe legitur, (ut *Ennianiſta* l. Gellii cit.) & *Pompilii Andronici* Opuſculum Annalium Ennii Elenchorum hiſtoricum fuit non Grammaticum. Vid. *Sueton.* de Ill. Gr. Cap. 2. & 8.

COMMENTARII *in Lucilium*, quorum Scriptores a *Gellio* refutantur Lib. II. Cap. 24. *Hanc Lucilius poeta legem* (Fanniam) *ſignat, quum dicit:*

Fanni centuſſis miſellos.

in quo erraverunt quidam commentariorum in Lucilium ſcriptores, quod putaverunt, Fannia lege perpetuos in omne dierum genus centenos æris ſtatutos &c. ubi Auctor forte *Curtium Niciam* intelligit, vel *Lælium Archelaum* & *Vectium Quintum Philocomum*, de quibus vide *Suetonium* de Illuſtr. Gr. cap. 2. & 14.

COMMENTARII *ad Jus Pontificium pertinentes* advocantur *Gellio* Lib. XVI. c 6. *Id ſcriptum invenimus in commentariis quibusdam ad jus Pontificium pertinentibus*. forte *Ateji Capitonis*, cujus Librum Quintum de jure Pontificio allegat Idem Lib. IV. Cap. 6. (conf. *Macrob.* Sat. Lib. VII. Cap. 13. p. m. 625) quod argumenti genus Romanorum quamplurimi alii tractarunt, ut *Fabius Maximus Servilianus* apud *Macrobium* Lib. I. Sat. c. 16.

Fabius

Fabius Pictor(vide *Vossium* de Historicis Lat. p. 14) &c. ut taceam septem istos Numæ Pompilii Libros Juris Pontificii, de quibus memini Part. I. in *Numa Pompilius*. Confer *Jacobi Gutherii* Libros de Jure Pontificio apud Veteres, item *Budæi* Annotationes in Pandectas pag. m. 30. nec non *Gronovii* notas ad Gellium pag. m. 73 (edit 1706. in 4to) de *Antistio Labeone* ejusque Commentariis Juris Pontificii, quos laudat *Festus* & cum eo *Augustinus*.

COMMENTARIVS de *Familia Porcia* incerti auctoris, quem se legisse testatur *Gellius* Lib. XIII. Cap. 19. extr. *Hæc Sulpicius Apollinaris audientibus nobis dixit, quæ postea ita esse uti dixerat, cognovimus, quum & laudationes funebres & librum commentarium de familia Porcia legeremus.* Qui quidem Commentarius vel forte *Messalæ Corvini* est, quem de Familiis Romanis scripsisse, auctor est *Plinius* Lib. XXXIV. Cap. 13. & XXXV. Cap. 2. vel *Suetonii Tranquilli*, qui teste *Suida* pag. m. 938. ςέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων reliquit. Conf. *Idea* nostra *Historiæ Litterariæ Romanorum* p. 300.

COMMENTARIVS sive COMMENTARIVM *Anquisitionis*, cujus testimonio utitur *Varro* de L. Lat. Lib. V. pag. m. 62. *Ut Commentarium indicat Vetus anquisitionis (*alii legunt *inquisitionis) M. Sergii Mani filii quæstoris, qui capitis accusavit Trogum, in qua sic est: Auspicio orando sede in templo auspicii-*& mox pag. 63. *In eodem commentario anquisitionis ad extremum scriptum caput edicti hoc est* - Quo ego commentario actaQuæstorum perscripta fuisse conjicio.

COMMENTARII CENSORII, quibus series, successiones & acta Censorum continebantur, apud *Dionysium Halicarnass.* Lib. I. pag. m. 87. *sicut apparet cum ex aliis multis, tum e Censoriis commentariis, quos a patribus filii per manus accipiunt, & ipsi posteris pari cura tradunt haud secus quam sacra paterna & gentilitia. hi per Viros illustres servantur in familiis Censoriis. in eis invenio altero ante captam urbem anno censum Populi Romani habitum. Varro* lib. V. de L. Lat. p. m. 61. *Tabulas Censorias* vocat: „Nunc primum ponam de „Censoriis tabuleis. *Ubi noctu in templum censura „auspicatur, atque de cælo nuntium erit, præconi sic „imperato, ut viros vocet, Quod bonum, fortunatum „felixque salutareq. siet populo Romano Quiritium, „reique publicæ populi Romani Quiritium, mihiq. „collegæque meo, fidei magistratuique nostro. Omnes „Quirites, pedites, armatos, privatosque, curatores „omnium tribuum, siquis pro se sive altero dari ratio„nem volet, voca inlicium huc ad me.„* Conf. *Jos. Scaligeri* Conjectanea p. 93. Taceo, quod ex *Censoriis Libris* refert *Gellius* Lib. II. Cap. 10. *Servius Sulpicius juris civilis auctor, vir bene litteratus scripsit ad M. Varronem: rogavitque, ut rescriberet, quid significaret verbum, quod in Censoriis Libris scriptum esset. id erat verbum* FAVISSÆ CAPITOLINAE &c.

COMMENTARII CONSVLARES, quos memorat *Varro* de L. Lat. Lib. V. pag. m. 62. *In Commentariis Consularibus scriptum sic inveni: Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc,* *Cal-*

Calpurni voca inlicium omneis Quiriteis huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites inlicium viſite huc ad judices &c. Quibus Commentariis edicta Conſulum &c. perſcripta fuiſſe auguror.

COMMENTARII QVINDECIM VIRORVM, ex quibus ſequentia refert *Cenſorinus* de Die Natali Cap. XVII. *Ut decimo centeſimoque anno repetantur* (ludi ſeculares) *tam Commentarii quindecim Virorum, quam D. Auguſti edicta teſtari videntur.* & mox ibidem: *Primos ludos ſeculares exactis regibus poſt Romam conditam annis* CCXLV. *a Valerio Publicola inſtitutos eſſe, Valerius Antias ait : at* XV. *VirorumCommentarii annis* CCXCVIII. *M. Valerio, SP. Verginio COSS.* item paucis interjectis: *Tertii ludi fuerunt, ut in libris quindecimvirorum ſcriptum eſt, anno quingenteſimo duodeviceſimo, P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo COSS.* In hoc Commentariorum genus eventa oraculorum Sybillinorum relata fuiſſe ſuſpicor, (quod officium XV-Virorum erat Libros Sybillinos inſpicere. vide *Ideam* noſtram *Hiſtor. Litter. Romanorum* pag. 139. & *Cenſorinum* de Die natali Cap. 17. nec non *Auſonium* Edyll. XI. v. 87) vel ritus & cerimonias ſacrorum, quibus intereſſe imo præeſſe ſolebant XV-Viri, teſte *Tacito* Annal. XI. 11. 3. *Is quoque*(Domitianus) *edidit ludos ſeculares, iisque intentius affui ſacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum prætor. Quod non jactantia refero, ſed quia Collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura,* (ludorum ſecularium) *& magiſtratus potiſſimum exſequebantur officia cerimoniarum.* Adde locum *Porcii Latronis* in

M 5 Decla-

Declamatione adversus Catilinam p. m. 913. *Primum Lentulus in libris Sybillinis nescio quid se perspexisse prædicabat, quod Viri acutissimi atque peritissimi Lucius Cornelius ac Cnæus Piso, custodes publicarum cerimoniarum nequaquam prospicere potuerunt.* Conf. *Francisc. Modii* Nov-Antiqv. Lect. Epist. VI. p. m. 14.

COMMENTARII *Jurisperitorum Veterum.* v. *Jurisperitorum* &c.

COMMENTARII PONTIFICVM, de quorum exoleta dictione & obscuritate *Quintilianus* Lib. VIII. Cap. 2. p. m. 438. *Obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis; ut si Commentarios quis Pontificum, & vetustissima fœdera & exoletos scrutatur auctores.* Conf. *Liv.* Lib. IV. Cap. 3. Meminit & horum *Plinius* Lib. XVIII. Cap. 3. p. m. 437. (edit Harduin.) *Equidem ipsa etiam verba priscæ significationis admiror. Ita enim est in commentariis Pontificum: Augurio canario agendo dies constituantur, priusquam frumenta vaginis exeant, & antequam in vaginas perveniant.* *Valerius Probus* de Notis Romanorum p. m. 1453. PONTIFICVM MONVMENTA vocat, *Varro* de L. Lat. Lib. IV. p. m. 26. & *Seneca* Epist. 108. LIBROS PONTIFICALES, Auctor Libri *de Origine Gentis Romanæ* p. m. 596. 598, 599. ANNALES PONTIFICALES, *Dionysius Halicarnassæus* Antiqv. Rom. p. m. 525. PONTIFICVM TABVLAS, alii ANNALES MAXIMOS, ut *Cicero*, cujus insignis locus est de antiquitate *Commentariorum Pontificalium* Lib. II. de Orat.

Orat. cap. 12. *Memoriæ publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, Pontificem Maximum, res omneis singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiamnum* Annales Maximi *vocantur.* Idem *Cicero* etiam PONTIFICIOS absolute vocat de Nat. Deor. Lib. I. Cap. 30. *Nominum non magnus numerus in Pontificiis nostris*; quem imitatur *Ammianus* Lib. XVII. p. m. 441. Confer sis *Quæstiones* nostras *Romanas* Lib. III. Cap. IV. Quæst. II. pag. 286. seqv. & *Vossium* de H. Lat. Lib. I. Cap. I. p. 2, 3, 4. nec non *Servium* ad Virgil. Eclog. V. v. 66. Georg. I. v. 21. & Æneid. IX. v. 641 de *Libris* INDIGITAMENTORVM (de quibus v. infra) & *Lactantium* I. 21, 44.

CONTROVERSIÆ *collectæ & editæ* v. infra DECLAMATIONES.

CRETICI VERSVS ab *Hygino* allegantur fab. 177. cum hoc fragmento:

Tuque Lycaoniæ mutatæ semine Nymphæ,
Quam gelido raptam de vertice Nonacriinæ
Oceano prohibet semper se tingere Thetis,
Ausa suæ quia sit quondam succumbere alumnæ.

Conf. Notas *Munckeri* pag. 46. & *Jacob. Nicol. Loensis* Miscell. Epiphill. Lib. III. Cap. 10. p. m. 355. Translati ex sermone Græco (incertum a quo auctore) videntur, nam & *Strabo* τὰς παραδόντας τὰ κρητικὰ citat pag. 466. (edit. Paris. 1620. in fol.) & τὰς κρητικὰς λόγους pag. 472.

CV-

CVPIDINIS TRIVMPHVS. v. *Triumphus*.

D.

DECLAMATIONES incerti Auctoris in *Virgilium* a *Servio* laudantur ad Librum X. Æneidos v. 532.

Gnatis parce tuis-

Verba *Servii* sunt pag. m. 622. „Qui in Virgilium Declamationes scripsit, de hoc loco sic ait ex persona Æneæ, *Improbus es qui aut regi dones, aut filios exhæredes &c.* Intelligit forte Auctor vel *Julium Titianum* vel *Catulinum*, de quibus Idem ibid. v. 18. pag. m. 594. *Et Titianus* (de quo vide supra Partem I) *& Catulinus* (rhetores) *qui themata omnia de Virgilio elicuerunt & adformaverunt ad dicendi usum, in exemplo controversiarum has duas posuerunt adlocutiones* (o pater, o hominum-) *dicentes* &c. Taceo hic *Declamationes* alias, jamdudum deperditas, *Oratorum*, de quibus *Svetonius* meminit Cap. 1. de Claris Rhet. *Nero Cæsar & primo imperii anno, publice quoque bis antea declamavit.* (conf. præced. ib. de Declamationibus tam Græcis quam Latinis *Ciceronis*, *Cn. Pompeji*, *M. Antonii* & *Augusti*) *plerique autem Oratorum etiam Declamationes ediderunt*. Conf. seqv. ib. de *Controversiis collectis editisque*. Taceo *Declamationem* incerti Auctoris apud *Petronium* pag. m. 21. *Dum in hoc dictorum æstu totus incedo, ingens Scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cujus, qui Agamemnonis Suasoriam*

riam exceperat. ubi auctor declamatorum extemporalium ambitionem falſe deridet, quam & *Quintilianus* reprehendit Lib. X. Cap. 7. pag. m. 612. ſq. & in Græcis *Androclides* περὶ τῶν ἐμποδῶν τεχνολόγων teſte *Suida in* Ἀνδροκλείδης.

DIALOGOS ſub & coram Auguſto recitatos memorat *Svetonius* in hujus vita Cap. 89. quorum argumenta & auctores utinam adjeciſſet! Certe notitia Rhetorum Romanorum auctior ad nos perveniſſet.

DISCIPLINA REGIA, titulus Libri Romani apud *Gellium* in Præfatione *Noctium Atticarum* ſupereſt, quem omnes Editiones retinent, præterquam *Jac. Gronovii* Regium Codicem ſecuti. Ex recentioribus hoc argumentum pertractarunt CONRADVS HERESBACHIVS de *educandis erudiendisque principum liberis*, IO. STVRMIVS de *Educatione principis*, MARCVS ANTONIVS de *Principum doctrina*, HIER. CAGNOLVS de *recta Principis institutione*, &c. quos recenſet Celeb. *Morhofius* Polyhiſt. T. I. Lib. II. Cap. XII. pag. m. 465. quibus addi poteſt *La Vita Civile & l'Educazione del Principe*, h. e. *de Vita Civili & educatione Principis* Liber Autore *Paulo Matthia Doria*, Francof. III. Volum. in 12.

DISSERTATIO Sophiſtæ alicujus, cui ratio temporum & ætatum non conſtitit, memoratur *Gellio* Lib. XVII. Cap. 21. *Ne in ſermonibus forte inconſpectum aliquid ſuper ætate atque vita clarorum hominum temere diceremus: ſicuti Sophiſta ille ἀπαίδευτος, qui publice nuper diſſerens Carneadem*

dem philosophum a rege Alexandro Philippi filio pecunia donatum & Panætium Stoicum cum superiore Africano vixisse dixit.

E.

EPISTOLARVM TRES LIBRI. Auctor Dialogi de Orat. Cap. XXXVII. num. 1. *Nescio an venerint in manus vestras hæc Vetera, quæ & antiquorum bibliothecis adhuc manent, & nunc maxime a Muciano contrahuntur: ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris & tribus Epistolarum composita & edita sunt. Ex his intelligi potest* &c.

ETRVSCI LIBRI. v. *Aruspicinæ libri*, & mox infra *Fatales Libri Etruscorum.*

F.

FATALES LIBRI ETRVSCORVM laudantur *Censorino* de Die Natali cap. XIV. *Etruscis quoque Libris Fatalibus ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi Varro commemorat.* ad quem locum vide sis *Francisci Modii* Lectiones Nov-Antiquas Epist. XXVII. pag. m. 74. Adde ex *S. Aurelii Victoris* Epitome Historiæ Augustæ pag. m. 632. in vita Claudii: *Claudius vero cum ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognovisset sententiæ in senatu dicendæ primi morte remedium desiderari*, &c. item ex *Vopisco* in vita Aureliani cap. 19. *Referimus ad vos P. C. Pontificum suggestionem & Aureliani principis litteras, quibus jubetur, ut inspiciantur libri fatales, quibus spes belli terminandi sacrato deorum imperio continetur. Scitis*

tis enim ipsi, quotiescunque gravior aliquis exstitit motus, eos semper inspectos: neque prius mala publica esse finita, quam ex iis sacrificiorum processit auctoritas. Vides usum *Librorum Fatalium*. Confer, quæ de Libris Fatalibus diximus in *Quæstionibus Romanis* pag 239. & locum *Macrobii* Lib. III. Sat. cap. 7. *Traditur autem in libro (fatali,* puto) *Etruscorum, si hoc animal* (aries) *insolito colore fuerit indutum, portendi imperatori omnium rerum felicitatem.* adde seqq. ibid. nec non *Arnobium* p. m. 251. 253.

FRAGMENTA incertorum auctorum minime prætereunda h. l. videntur, ut illud apud

Ammianum Marcellinum Lib. XVII. p. 115. (edit. Lindenbrog. in 4to.) *Quibus* (Sarmatis) *incredibile quantum prosperitatis hæc attulit causa; ut verum illud æstimaretur, quod opinatur quidam, fatum vinci principis potestate vel fieri.* Apud Ciceronem *de Fato* nihil hujusmodi reperitur, nihil apud *Plutarchum* περὶ εἱμαρμένης. item Lib. XXIX. p. m. 532. Animadversum est recte hoc definitum, *Nullam esse crudeliorem sententiam ea, quæ est, cum parcere videtur, asperior.*

Macrobium lib. II. Sat. c. 9. ex *Indice quarto Metelli Pontificis* (cognomento *Cæci*) p. m. 354. sq. *Ante diem nonum Kalendas Septembris, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, domus ornata fuit. triclinia lectis eburneis strata fuerunt. duobus tricliniis pontifices cubuerunt Q. Catulus, M. Æmilius Lepidus, D. Silanus, C. Cæsar rex sacrorum, P. Scævola Sextus, Q. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinovanus*

vanus & L. Julius Cæsar augur, qui eum inauguravit. in tertio triclinio Popilia, Perpennina, Licinia, Arruntia, Virgines Vestales, & ipsius uxor Publicia flaminica & Sempronia socrus ejus. Cœna hæc fuit. Ante cœnam echinos, ostreas crudas quantum vellent, peloridas, sphondilos, turdum, asparagos. subtus gallinam altilem, patinam ostrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos: iterum spondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina involuta, ficedulas, murices & purpuras. In cœna sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes Picentes.

Sidonium Apollinarem Lib. VII. Epist. XIV. pag. m. 463. „Unde illud simile vulgatum est, quod ait quidam in causa dispari, sen„tentia pari: *Filium Marci Ciceronis Populus Ro„manus non agnoscebat loquentem*.„ Confer notas *Jo. Savari* de filio Ciceronis degenere ex *Seneca*, *Spartiano*, *Plutarcho*, *Hieronymo*, &c. pag. 466.

Isidorum(α)Orig.lib.X.lit.S.col. m. 1086.„*Stul„tus* hebetior corde, sicut quidam ait: *Ego me ipsum „stultum esse existimo, fatuum esse non opinor*. id est, „obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. Stul„tus est, qui per stuporem non movetur injuria; sæ„vitiam enim (forte *omnem*) perfert, nec ultus est, „nec ulla ignominia commovetur ad dolorem.„ Lexicon Cellarii in voce *Stultus* hoc fragmentum *Afranio* tribuit, sed præter auctoritatem. Ceterum de differentia inter *Stultum*, *Stolidum* & *Fatuum* vide

Vide *Ausonium Popmam* Lib. III. de Different. Verb. p. m. 120. & 234, *Vallam* Lib. I. Cap. 113. alios.

(β) Lib. XI. cap. 2. col. 1104. „*Canities* vo-„cata a Candore, quasi candities. Unde est illud, „(Poëtæ alicujus, uti videtur) *Florida juventus, la-„ctea canities.* prout diceret candida.„

(γ) Lib. XIIX. Cap. 12. col. 1272. „*Scetra* scu-„tum loreum sine ligno, quo utuntur Afri & Mauri, de quo Poëta: *lævam scetra tegit*-„

(δ) Lib. XX. Cap. 10. col. 1321 „*Cereus* per de-„rivationem nomen a *cera* habet, ex qua formatur; „de quo quidam:

Hic tibi nocturnos præstabo cereus ignes.
Subducta luce altera lux tibi sum.

Verba poëtæ omnino Ecclesiastici.

(ε) Ibid. cap. 14. col. 1324. „*Falx* est, qua arbo-„res putantur & vites. Dictæ autem sunt falces, „quod his primum milites herbam filicen solebant „abscindere, unde est illud:

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus:
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

(ζ) Lib. IX. Cap. 1. col. 1034. „*Latinas Lin-„guas quatuor esse* quidam dixerunt, id est, *Pri-„scam, Latinam, Romanam, Mixtam* „- &c. Conf. *Morhofium* de Patavinitate Liviana pag. 73. seq. & *Quæstiones* nostras *Romanas* pag. 1 seq.

Auctorem Fragmenti, quod Censorino plerumque adjungi solet, cap. XIV. pag. m. 224. sequ.

Pro veste pinnis membra textis contegit.
& *Aquilonis stridor gelidas molitur nives.*

N Calen-

Calentibusque lympha fontibus.
Tela, famuli, tela propere, sequitur me Thoas.
Proinde & abs te regimen Argos dum est potestas consulendi.
Hæc bellicosus cui pater, mater cluet Minerva.
Ibant mala viere veneream coronam.
Ille ictus retrocecidit in natem supinus.
Axena Ponti per freta Colchos denique delatus adhæsi.
Ore beato lumine volitans qui per cœlum candidus equitas.
Quis meum nominans nomen exciet, quis tumultum, invocans incolarum fidem?
Qui repens semipulsus onere gravi fores strepitu terrent?
Miseri invidi vivimus scientes.
Magnum numerum triumphat hostibus devictis.

item Cap. XV pag. 227.

Rapite, agite, ruite celeripedes.
Olli crateribus exauratis hauserunt.
Horridi transeunt ad pedes ex equis. &c.

Gellium Lib. I. cap. 15. „Epicharmium quoque il„lud non inscite se habet,

Ὀυ λέγειν δεινὸς, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος.

„Ex quo hoc profecto sumtum est:

Qui quum loqui non posset, tacere non potuit.„
Versus fortasse *Ennii*, qui Epicharmum sæpenumero imitatus est, imo Epicharmum scripsit, teste *Varrone* Lib. IV. de L. Lat. p. m. 17. & 19.

Lib.

Lib. IV. cap. 9. „Nigidius Figulus refert versum „ex antiquo carmine, memoria hercle dignum:

„*Religentem* (malo *Religantem*) *esse oportet*; *re-* „*ligiosum nefas.* Cujus autem id carmen sit, non „scribit.„

Lib. XII. Cap. 11. extr.„ Quidam veterum poë- „tarum, cujus nomen mihi nunc memoriæ non est, *Veritatem temporis filiam* esse dixit.„ Confer *Suidam* in voce Ὀπαδὸς p. m. 671.

Servium (ad Lib. I. Æneid. v. 509) pag. m. 212. *Quidam tradunt apud Veteres omnia templa in modum testudinis facta. Varro* forte aut *Fussitius*, de quo vide Partem I. nam apud *Vitruvium* equidem nihil hujusmodi reperio.

FRAGMENTA, editoribus Auctorum hactenus inobservata,

GELLII Libro nono Noctium Atticarum apud *Priscianum* Lib. VI. pag. m. 191. *Historia ex libris Heraclidæ Pontici jucunda memoratu & miranda.* qui quidem locus non eorum modo diligentiam subterfugit, qui Gellium ediderunt, sed & Celeb. *Vossii*, qui de Heraclide Pontico commentatus est Lib. I. de Hist. Græcis cap. IX. p. 44. seq.

Libro Sexto, apud eundem ibid. p. 200. *Sole medio & arido & flagranti, specum quandam nactus remotam latebrosamque penetro & recondo.* adde *me.*

SALLUSTII apud *Macrobium* de Differ. & Societ. Græci Latinique Verbi pag. m. 693. *Cum inferior omni via grassaretur.*

VARRONIS *in Scævolam* ibid. pag. 690. *Et ut matrem audivi dicere.*

FVLGVRALES LIBRI. Vide sis *Quæstiones* nostras *Romanas* pag. 239.

FVNEBRES LAVDATIONES, v. *Laudationes*.

G.

GALLIARUM PRISCA MONUMENTA laudantur *Symmacho* Lib. IV. Epist. 36. *Asperserat nos ille jamdudum facundiæ suæ floribus, & Galliarum prisca monumenta jucundo otio exscribenda mandaverat*. quæ Autor *Priscas Gallorum memorias* vocat ibid. Epist. 18. *Priscas Gallorum Memorias deferri in manus tuas postulas. Revolve Patavini Scriptoris extrema, quibus res Cæsaris explicantur, aut, si impar est desiderio tuo Livius, sume Ephemeridem C. Cæsaris* (de qua disserit Celeb. *Vossius* Lib. I. de Hist. Lat. Cap. XIII. pag. 64) *decerptam bibliothecula meæ, ut tibi muneri mitteretur. Hæc te origines, situs, pugnas & quicquid fuit in moribus aut Legibus Galliarum, docebit.*

GENERA PIETATIS. Scriptores *de Generibus Pietatis* citantur *Servio* ad illud Virgilii Lib. VI. v. 176.

Præcipue pius Æneas.-

Verba *Servii* sunt p. m. 425. *Qui de pietatis Generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt. Unde cum Pontificibus nefas esset cadaver videre, tamen magis nefas fuerat, si visum insepultum relinquerent. Genus autem fuerat sepulturæ injectio pulveris -*. Eosdem, credo, Scriptores tacite significat *Nonius* cap. I. num. 252. p. m. 511. PIE-

TATEM

TATEM *docti veteres hanc esse voluerunt, quod quæ in ea sunt, quasi penitus & in penetralibus recondantur. hoc & in antiquis libris & philosophorum tractatibus invenitur.*

GLOSSARUM sive GOSSEMATUM Scriptores a *Varrone* allegantur Lib. VI. de L. Lat. p. m. 67. *Quod addit templa ut sint dextra, ajunt sancta esse, qui Glossas scripserunt.* & pag. 71. *Qui glossemata interpretati, dixerunt (*Camillam*) administram.* Intelligo Grammaticos L. *Ælium Gallum*, L. *Ælium Stilonem*, P. *Aurelium Opilium*, *Claudium Procilium*, aliosque, quorum testimoniis crebro auctor utitur. Ceterum de *Glossis* & *Glossographis* taceo post *Vossium*, *Clericum*, *Maussacum*, *Gronovium*, *Casaubonum*, *Rhodiginum*, *Wowerium*, *Heumannum*, alios.

GRAMMATICÆ *artis* Scriptores antiquissimos eosque clarissimos (sc. prosapia) laudat *Svetonius* de Ill. Gr. cap. 3. *Post hoc magis ac magis & gratia & cura artis* (Grammaticæ) *increvit, ut ne clarissimi quidem Viri abstinuerint, quo minus & ipsi aliquid de ea scriberent.* Monumenta deperdita!

H.

HISTORIA VETUS RERUM POENICARUM a *Gellio* citatur Lib. XVII. cap. 9. *Legebamus id quoque in vetere historia rerum Pœnicarum, Virum indidem quempiam illustrem-epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo abscondisse.* incertum cujus auctoris; nam de Rebus Pœnicis in-

numeri ſcripſerunt, *Nævius, Livius, Caſſius Hemina, Varro, Alfius Flavus* &c. *Scioppius Polybium* deſignari credit; Polybius vero non tam *res Carthaginenſium* ſtudioſus illuſtravit, quam aliarum gentium, *Achæorum, Ægypti, Syriæ, Macedoniæ, Perſidis, Cappadociæ* &c. Singularem fuiſſe Librum credibile eſt.

HISTORIA TEMPORVM AVGVSTI memoratur *Gellio* Lib. X. cap. 2. *Sed & , Divo Augusto imperante, qui temporum ejus hiſtoriam ſcripſerunt, ancillam Cæſaris Auguſti in agro Laurente peperiſſe quinque pueros dicunt, eosque pauculos dies vixiſſe: matrem quoque eorum, non multo poſt, quam peperit, mortuam, monumentumque ei factum, juſſu Auguſti, in via Laurentina*; &c. Apud Scriptores, quorum monumenta ſuperſunt, de hujus partus memoria nihil equidem invenio.

HISTORICVS LIBER, tempore Trajani ſcriptus, laudatur *Plinio* Lib. IX. Epiſt. 27. *Recitaverat quidam veriſſimum librum, partemque ejus in alium diem reſervaverat: ecce amici cujusdam* (malo *ejusdem*) *orantes obſecrantesque, ne reliqua recitaret. - Liber tamen, ut factum ipſum, manet, manebit, legeturque ſemper tanto magis, quia non ſtatim-* &c. Confer omnino præcedentia ib. de *poteſtate, dignitate, majeſtate & numine hiſtoriæ.* Auctorem argumentumve hujus libri fruſtra indagaveris.

HISTORIÆ TVSCÆ a *Cenſorino* allegantur de Die natali Cap. XVII. *Quare in Tuſcis hiſtoriis, quæ octavo eorum* (Tuſcorum) *ſeculo ſcriptæ*

ſunt

ſunt, ut Varro teſtatur, & quot numero ſecula ei genti data ſint, & transactorum ſingula quanta fuerint, quibusve oſtentis eorum exitus deſignati ſint, continetur. Itaque ſcriptum eſt, quatuor prima ſecula, annorum fuiſſe centum & quinque: quintum centum viginti trium: ſextum, undeviginti & centum; ſeptimum totidem: octavum tum demum agi: nonum & decimum ſupereſſe. quibus transactis finem fore nominis Etruſci. Intelligit forte Autor *Libros Etruſcorum*, de quibus ſupra meminimus.

HISTORIAS ſub & coram Auguſto Imperatore recitatas memorat *Svetonius* in hujus Vita cap. 89. *Recitantes & benigne & patienter audivit: nec tantum carmina & hiſtorias ſed & orationes & dialogos.* Utinam argumenta & nomina Autorum adjeciſſet!

I.

INDIGITAMENTORUM LIBRI. Vid. ſupra COMMENTARII *Pontificum.* Confer *Cenſorinum* de Die Natali Cap. III. *Genio potiſſimum per omnem ætatem quotannis ſacrificamus. Quanquam non ſolum hic, ſed & alii ſunt præterea dii complures, hominum vitam pro ſua quisque portione adminiculantes: quos volentem cognoſcere, Indigitamentorum Libri ſatis edocebunt.* ita dicti a diis, quos *Indigetes* Veteres Romani vocarunt, in Gloſſis ἱερατικὰ βιβλία, nempe nomina & numina Deorum continentia, de quibus Librum ad Cæſarem ſcripſit *Granius Flaccus* (quod in *Parte* I monuimus) & *Varro*; vide *Nonium* cap. I. num. 41. Alia

de *Indigitamentis* quære in Lexicis & apud *Vossium* in Etymolog. pag. 265, *Salmasium* in Plinianis Exercitat. pag. 71. &c. Adde porro, quæ de *Indigitamentis* sive Libris Pontificum disserit M. *Zuerius Boxhornius* Quæst. XIII. Rom. pag. 67. *Erant Libri Pontificum duum generum. In quibusdam ratio & modus peragendorum sacrorum continebatur, ad quos proxime accedebant libri, qui Rituales dicebantur, quorum Festus aliique non semel meminere. In nonnullis vero interpretationes sacrarum fabularum proponebantur.* De *Indigitamentis Pompilianis* vide *Arnobium* p. m. 95. edit. Lugd. Bat. 1651. in 4.

INSTITUTIONES JURIS CIVILIS, v. infra *Jurisperitorum Libri* &c.

JUDICIALIUM CAUSARUM Scriptores laudantur *Quintiliano* lib. III. cap. 6. extr. *Sed quia hæc variantur in litibus & fere tradita sunt ab iis, qui de judicialibus causis aliqua composuerunt, in illam partem differantur.* Intelligit auctor forte vel *Ciceronem* vel *Trebatium*, quos allegat ibidem Cap. 11. p. m. 196. vel Græcos *Hermagoram*, *Apollodorum*, *Theodorum* &c.

JUDICIS OFFICIUM *est ut res ita tempora rerum*

Quærere-

inquit *Ovidius* Lib. I. Trist. Eleg. I. v. 37. præeuntibus forte Scriptoribus sive Libris *de officio Judicis*, quos memorat *Gellius* Lib. XIV. Cap. 2. sub initium: *Quo primum tempore a prætoribus lectus in judices sum, ut judicia, quæ appellantur privata, susciperem,*

rem, Libros utriusque linguæ de Officio Judicis scriptos conquisivi-&c. Quod argumenti genus diligentissime pertractavit ex Romanis Q. *Ælius Tubero*, (vide *Gellium* in sequentibus l. c.) filius historici L. *Ælii Tuberonis*; nam Ælii Tuberones ab eruditis, *Riccobono*, *Popma* aliis varie confunduntur, quos rite & signate distinguit Clarissimus *Vossius* lib. I. de Hist. Lat. Cap. XII. p. 56-58. & ex Vossio compressius *Jo. Mollerus* Cap. IV. Homonymosc. pag. 410.

JURISPERITORUM VETERUM LIBRI sive COMMENTARII, quorum vel nomina una cum argumentis suis perierunt vel illa his, hæc illis supersunt, a *Gellio* subinde allegantur, ut Lib. IV. Cap. 2. *Non prætereundum est, id quoque in libris Veterum Jurisperitorum scriptum esse*, MORBUM & VITIUM *distare*: *quod* VITIUM *perpetuum*, MORBUS *cum accessu discessuque sit*. Conf. *Nonius* Cap. 5. pag. m. 440, qui eandem distinctionem tradit, sed itidem absque certo auctore. item Lib. XIV. cap. 2. *In rerum quidem diffissionibus comperendinationibusque & aliis quibusdam legitimis ritibus, ex ipsa lege Julia & ex Sabini Massurii & quorundam aliorum Jurisperitorum Commentariis commoniti & adminiculati sumus* - &c. nec non Lib. XX. Cap. 10. *Itaque id, quod ex Jureconsultis ex librisque eorum didici, inserendum his commentariis existimavi.* Adde ex Libro V. Cap. 19. *Idque ait* (Massurius Sabinus) *plerosque juris Veteris auctores posse fieri scripsisse*. Quo & refero illud *Lactantii* I. 1. 12. *Si quidam prudentes, &*

arbitri æquitatis, institutiones civilis juris compositas ediderunt, (ut L. *Cassius Longinus*, Q. *Mutius Scævola*, *Massurius Sabinus*, *Cato*, M. Catonis Porcii filius, *Brutus*, M. *Manilius*, alii) *quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent, quanto melius nos & rectius divinas institutiones litteris persequemur; in quibus non de stillicidiis, aut aquis arcendis aut de manu conserenda, sed de spe, de vita loquemur?* Conf. *Isidorum* Lib. V. Orig. Cap. 14. & *Quæstiones* nostras *Romanas* pag. 321.

L.

LAUDATIONES FVNEBRES *familiæ Porciæ* laudantur *Gellio* Lib. XIII. Cap. 18. extr. *Hæc Sulpitius Apollinaris audientibus nobis dixit. quæ postea ita esse, uti dixerat, cognovimus, quum & laudationes funebres & Librum Commentarium de familia Porcia legeremus.* Taceo *Laudationes* hujusmodi alias, ut IVLIÆ amitæ Cæsaris, uxorisque *Corneliæ*, quas hic *defunctas laudavit e more pro rostris*, teste *Suetonio* in vita Cæsaris Cap. 6. AVGVSTI, qui *bifariam laudatus est: pro æde D. Julii a Tiberio: & pro rostris sub veteribus a Druso Tiberii filio*-apud eundem Cap. 100. LIVIAE AVGVSTAE, *quam defunctam prætextatus etiam tum* Caligula *pro Rostris laudavit*; ibid. in Vita Caligulæ Cap. 10. DRVSI NERONIS, quem *defunctum ita pro concione laudavit* Augustus, *ut Deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent*-&c. ib. in vita Claudii cap. I. CLAVDII Imperatoris, quem Nero *apparatissimo funere elatum laudavit consecravitque*, ut

auctor

auctor est Idem in Nerone Cap. 9. PERTINACIS Imp. qui *a Severo* (Imperatore) *funebri laudatione honoratus est*, quæ verba sunt *Julii Capitolini* in vita Pertinacis, Cap. ult. VERGINII RVFI apud *Plinium* Lib. II. Epist. I. num. 6. *Hujus Viri exsequiæ magnum ornamentum principi, magnum seculo, magnum etiam foro & rostris attulerunt. Laudatus est a Consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus.* Conf. Lib. IIX. Epist. XII. extr. Alias Clarorum Virorum Laudationes commemorat G. *J. Vossius* Lib. III. Instit. Orat. Cap. VII. §. X. pag. 412. seqv. cujus scrinia compilare nolumus. Denique addere libet ex *Quintiliano* hoc antiquitatis monumentum Lib. III. c. 7. *Funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex senatus consulto magistratibus sæpe mandantur.* Ceterum quid sit *Laudatio*, nempe *rerum gestarum relatio*, docet *Cornelius Fronto* pag. m. 1335.

LAVDES SOMNI MORTIS & certorum quorundam CIBORUM scriptas refert *Quintilianus* Lib. III. Cap. 7. pag. m. 177. *Nam & somni & mortis scriptæ laudes & quorundam a medicis ciborum.* Ubi pro *ciborum* pene scripsissem *morborum*, quo nempe modo *febrim* laudasse traditur *Plato*, & *quartanam* philosophus *Favorinus* apud *Gellium* Lib. XVII, Cap. 12. Sed ego nihil muto. Taceo exempla hujusmodi recentiorum, de quibus vide *Morhofium* T. I. Polyh. Lib. III. Cap. XII, n. 54. p. m. 698.

LAVDES VRBIVM citantur *Plinio* lib. III. Epist.

Epist. 21. n. 3. *Fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes vel Urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exolevit.* Confer illud *Quintiliani* Lib. III. Cap. 7. p. m. 177. *Laudantur urbes similiter atque homines: Nam pro parente est conditor: & multum autoritatis affert vetustas, ut iis, qui terra dicuntur orti: & virtutes ac vitia circa res gestas: eademque in singulis. Illa propria, quæ ex loci positione ac munitione sunt. Cives illis, ut hominibus liberi, decori. Est laus & operum, in quibus honor, utilitas, pulchritudo, autor spectari solet. Honor, ut in templis: utilitas, ut in muris: pulchritudo vel autor, utrobique.* &c. Cujus præcepti Oratorii locupletissimum interpretem vide *Gerardum Jo. Vossium* Lib. I. Instit. Orat. cap. 39. p. 103-105.

LECTIONIS SVÆ, titulum fuisse Libri incertum an Librorum quorundam Romanorum, certum est ex Præfatione *Gellii* Noctium Atticarum pag. m. 5. qualis est Inscriptio illa, Bibliothecæ *Photii*: Ἀπογραφὴ καὶ συναρίθμησις τῶν ἀνεγνωσμένων ἡμῖν βιβλίων, id est, *Descriptio atque enumeratio lectorum a nobis librorum*, sive *Telephi*, Pergameni Grammatici apud *Suidam* pag. m. 919. Βιβλιακὴ ἐμπειρία.

LIBRI VETERVM. v. *Veterum Libri* &c.

M.

MEMORIÆ VETERES. v. infr. *Veterum Libri* &c.

MILI-

MILITARIS DISCIPLINÆ SCRIPTORES a *Gellio* allegantur Lib. X. Cap. IX. *Hæc & quædam item alia invenire est in libris eorum, qui de militari disciplina scripserunt.* item *Servio* (ad Æneid. Lib. XI. v. 284.) pag. m. 658. *Qui scripserunt de Arte militari, dicunt summum genus esse dimicandi, quotiens calcato umbone adversarii, se in hostilem clypeum erigit miles, & ita contra instantis vulnerat terga.* Intellige cumprimis *Catonem* (qui *Librum* non *Libros* reliquit, uti contendit *Stewechius* ad Vegetium pag. m. 34, reprehensus proinde a Celeb. *Fabricio* meo Bibl. Lat. p. m. 24.) intellige T. *Cincium Alimentum*, cujus *tertium*, *quintum* & *sextum* Librum *de Re militari* citat laudatus *Gellius* Lib. XVI. Cap. 4. ut quamplurimos alios tam Græcos quam Romanos hujus argumenti auctores omittam (de quibus vide *Ælianum* Cap. I. Τακτικῶν pag. m. 11. & *Stewechium* in Notis ad Veget. Lib. I. Cap. IIX. pag. 36. 37) quos ex recentioribus sequuti sunt *Hieronymus Catanæus* & *Lazarus Sorantzius*, (quorum erudita commentaria se vidisse testatur *Colerus* in Epist. de *studio Politico* pag. m. 36) *Michael Montanus*, *Justus Lipsius*, *De la Nue*, homo Gallus, & novissime *Nicolaus Parthenius Giannettasius*, S. J. cujus *Bellica* prodierunt Neapoli 1699. in forma, quam vocant, octava, ingeniosissimo carmine elaborata.

MORTIS LAVDES. vid. *Laudes.*

N.

de NATURA HUMANA, Titulus (incerti

certi auctoris) apud *Gellium* supereſt in Præfatione Noctium Atticarum, ſi fides habenda pluribus iisque antiquioribus editionibus, a quibus in noviſſima ſua diſcedit *Iacobus Gronovius* Codicem Regium ſeqvutus, qui hanc inſcriptionem non agnoſcit.

de NVMERIS qui Latine ſcripſerunt, laudantur *Gellio* Lib. XIIX. cap. 14. *Figuræ quædam numerorum, quas Græci certis nominibus appellant, vocabula in lingua Latina non habent. ſed qui de numeris Latine ſcripſerunt, Græca ipſa dixerunt. fingere autem noſtra, quoniam id abſurde futurum erat, noluerunt.* Conf. ſeqv. ex quibus diligens Lector facile animadvertit, non *Vitruvium* intelligi, qui Græcum ἡμιόλιον Latine vertit *ſesquialterum* & ἐπίτριτον *tertiarium* Lib. III. Cap. I. Animadvertit porro, fruſtra eſſe *Iſidorum* qui Lib. III. Cap. I. Orig. ab *Apulejo* diſciplinam numerorum primum traditam refert.

de NVPTIIS Scriptores allegantur a *Servio* ad illud Virgilii Lib. IV. Æneid. v. 458.

templum.
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,

Verba *Servii* ſunt pag. m. 355. *Hi qui de nuptiis ſcripſiſſe dicuntur, tradunt, cum nova nupta in domum mariti ducitur, ſolere poſtes unguine lupino obliniri, quod hujus feræ & unguen & membra multis rebus remedio ſunt.* Intelligit auctor forte cumprimis *Neratium*, cujus Librum *de Nuptiis* citat *Gellius* Lib. IV. Cap. 4. extr. ut taceam *Sacra Nuptialia*, quorum teſtimonio & auctoritate utitur *Quintilianus* Lib. I. cap. 7.

O. de

O.

de OFFICIIS Scriptores Latini memorantur *Gellio* Lib. II. Cap. 7. princ. *Quæri ſolitum eſt in philoſophorum diſceptationibus, an ſemper inque omnibus juſſis patri parendum ſit. Super ea re Græci noſtrique, qui de Officiis ſcripſerunt, tres ſententias eſſe, quæ ſpectandæ conſiderandæque ſint, tradiderunt.* Ex Græcis intellige cumprimis *Theophraſtum* & *Panætium*, ex Latinis *Ciceronem*, in quo tamen nihil hujusmodi me legiſſe memini.

OFFICIVM JVDICIS. vid *Judicis Officium.*

ORATIO Scipionis Africani ſive alterius incerti auctoris laudatur *Gellio* Lib. IV. Cap. 18. *Fertur etiam Oratio, quæ videtur habita eo die a Scipione, (*qvum nempe M. Nævius tribunus plebis accuſaret eum ad populum, diceretque a rege Antiocho accepiſſe pecuniam &c.) *& qui dicunt eam non veram, non eunt infitias, quin hæc quidem verba fuerint, quæ dixi, Scipionis.* Conf. præcedentia ibidem, & *Livium* Lib. XXXIIX, Cap. 50.

ORATIO PII (*Antonini,*) jamdudum deperdita, ab Impp. Diocletiano & Maximiano memoratur in Codice Theodoſiano Lib. X. Tit. LII. §. IV. col. m. 1040. *Oratione divi Pii liberalium ſtudiorum profeſſores, non etiam calculatores* (quos nonnulli interpretantur *Geometras*, aut *qui primas litteras docent*, Conf. *Idea* noſtra *Hiſtor. Litterariæ Romanorum* pag. 344.) *continentur.* Ubi probe obſervandum, *Orationem* Principis pro Mandato

ſive Edicto accipi, ut apud *Svetonium* in vita *Veſpaſiani* filii cap. 6. *Cum patris nomine & epiſtolas ipſe dictaret, & edicta conſcriberet, orationesque in Senatu recitaret* - &c. atque *Neronis* cap. 15. *De quibusdam rebus orationes ad Senatum miſſas, præterito quæſtoris officio, per* Coss. *plerumque recitabat.* Ceterum orationem Pii noſtri Antonini reſpicere videntur verba Capitolini in vita ejus Cap. II. *Rhetoribus & philoſophis per omnes provincias & honores & ſalaria detulit.*

ORATIONES *Antiquæ* advocantur *Gellio* Lib. XIII. Cap. 21. princ. *Comprecationes deum immortalium, quæ ritu Romano fiunt, expoſitæ ſunt in libris Sacerdotum populi Romani & in plerisque antiquis Orationibus. in iis ſcriptum eſt,* LVAM SATVRNI, SALACIAM NEPTVNI, HORAM QVIRINI, IVRITES QVIRINI, NAIAM VOLCANI, HERIEM IVNONIS, MOLAS MARTIS, NERIENEMque MARTIS. incertum quorum Auctorum. Nam in iis orationibus, quæ vel quarum fragmenta hodie ſuperſunt, nihil ejusmodi reperitur. Taceo ORATIONES, ſub & coram Auguſto habitas, quarum mentionem injicit *Svetonius* cap. 89.

P.

POENICARVM RERVM HISTORIA. v. *Hiſtoria.*

PRATVM, Titulus incerti & libri & Auctoris ſupereſt apud *Gellium* in Præfatione Noctium Atticarum, quam quidem Inſcriptionem Latinam interpretationem eſſe Græcæ λειμὼν, (quam allegat

gat *Plinius* in Præfatione Hiſtoriæ naturalis) putat *Salmaſius*. Verum quid obſtat, quo minus tam *Pratum* Liber Latinus inſcribi potuerit, quam Græcus λειμὼν, imò quam ab aliis *Silvæ* &c. teſte eodem ibidem?

PROSERPINÆ CHORVS, poëma Vetus, (uti conjicio) a *Varrone* citatur Lib. V. de L. Lat. pag. m. 63. *Quare una origine Inlicio & Inlicius, quod in Choro Proſerpinæ eſt.* Conf. *Jo. Scaligeri* Conjectanea pag. 96.

de PROSERPINÆ SACRIS ſcriptores a *Servio* allegantur ad illud *Virgilii* Lib. VI. Æneid. v. 136.

latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus.

Verba *Servii* ſunt pag. m. 422. *Licet de hoc ramo hi, qui de Sacris Proſerpinæ ſcripſiſſe dicuntur, quiddam eſſe myſticum affirment: publica tamen opinione hoc habet -.*

PVBLICA ACTA. vid. *Acta.*

R.

de RIDICVLIS, Titulus incerti & Libri & Auctoris ſupereſt apud *Gellium* in Præfatione Noctium Atticarum, ſi fides habenda pluribus iisque antiquioribus editionibus, a quibus in noviſſima ſua diſcedit *Jacobus Gronovius*, Codicem Regium ſequutus, qui hanc Inſcriptionem non agnoſcit. Conf. *Quintilian.* Lib. VI. Cap. 3. qui & Libros incerti Scriptoris de *Jocis Ciceronis* commemorat, & varia ridiculorum exempla; item *Liv.* Lib. VII. Decad. I. p. m. 105. de *Ridiculorum jactatione* apud Romanos.

RITVALES LIBRI, in quibus observantia cerimoniarum & religionum circa sacrificia & quemlibet Deorum cultum tradita fuit, laudantur *Ciceroni* Lib. I. de Divinat. Cap. 33. quos quidem ita definit *Festus*: RITVALES *nominantur Etruscorum libri, in quibus perscriptum est, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quo modo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, ceteraque ejusmodi ad bellum ac pacem pertinentia.* Testimonio horum & auctoritate utitur *Censorinus* Lib. de Die Natali Cap. XI. *Alter autem ille partus, qui major est, majori numero continetur, septenario scilicet, quo tota vita humana finitur, ut Etruscorum Libri Rituales videntur indicare.* & Cap. XVII. *in unaquaque civitate quæ sint naturalia secula, Rituales Etruscorum Libri videntur docere: in queis scriptum esse fertur, initia sic poni seculorum* &c. Adde ex *Ammiano* Lib. XVII. pag. m. 441. *Unde & in ritualibus & pontificiis obtemperantibus sacerdotiis, cautum, ne alio deo pro alio nominato piacula committantur.* item lib. XXIII. pag. m. 487. *Hetrusci aruspices, qui comitabantur, gnari prodigialium rerum, quum illis procinctum hunc sæpe arcentibus non crederetur, prolatis Libris Ritualibus ostendebant, signum hoc esse prohibitorium, principique aliena, licet juste, invadendi contrarium.* Taceo vero locum M. *Zverii Boxhornii* Quæst. XIII. Rom. pag. 67. *Erant Libri Pontificum duum generum; in quibusdam ratio & modus peragendorum sacrorum continebatur, ad quos proxime accedebant Libri qui Rituales dicebantur, - in non-*

nonnullis vero interpretationes ſacrarum fabularum proponebantur. Denique eosdem eſſe *Libros* puto, quos *Cerimoniarum* vocat *Tacitus* Annal. III. 58, 2. *nulla de eo populi ſcita, non in libris Cerimoniarum reperiri;* quas primus inſtituit *Numa*, teſte *Livio* pag. m. 7. (confer *Florum* I. 2, 2. & *Quæſtiones* noſtras *Romanas* pag. 232. ſeqqv.) poſtea inſtauravit *Hadrianus* apud *Aurelium Victorem* de Cæſaribus cap. 14. Porro ad Rituales Romanorum Libros referri quodammodo poſſunt Libri *de Sacerdotibus Publicis* (de quibus v. infr.) nec non Diſſertatio *Tertii* (forte *Perſannii*, vide ſupr. Partem I.) de *ritu Sacrorum* apud *Macrobium* Sat. Lib. III. Cap. 11. item *Leges* illæ *ſacræ* & *Eccleſiaſticæ*, quarum ſummam edit *Cicero*, editam illuſtrat Lib. II. de Leg. cap. 9. ſeqv.

S.

de SACERDOTIBVS PVBLICIS *Libros* citat *Gellius* Lib. X. Cap. 15. princ. *Cerimoniæ impoſitæ flamini Diali multæ, item caſtus multiplices, quos in Libris, qui de Sacerdotibus publicis compoſiti ſunt, ſcriptos legimus*. Conf. ibid. ſequentia ſub finem ex edicto perpetuo Prætoris de flamine diali & ſacerdote Veſtæ, nec non ex ſecundo *Varronis* Libro Rerum Divinarum ſuper flamine Diali. *Sacerdotes publici* dicebantur, quod publicam cerimoniarum, ſacrificiorum &c. curam gerebant, quo nomine comprehendi ſolebant *Pontifices*, *augures*, *flamines*, *decemviri ſacrorum*, teſte *Livio* Lib. V. p. m. 228. *Et aliquot publici ſacerdotes mortui eo anno ſunt*: *L. Cornelius Lentulus, PONT. MAX. & C. Papyrius, C. F. Maſſo Pontifex, & P. Furius*

Philus, augur, & C. Papyrius L. F. Masso decemvir sacrorum &c. Conf. Lib. VI. pag. m. 250. de mortuis sacerdotibus publicis *M. Æmilio Numida, decemviro sacrorum, M. Pomponio Mathone, pontifice, Sp. Carvilio Maximo, augure, C. Claudio, flamine diali.* item Lib. VII. p. m. 261. Lib. X. p. 451. Lib. XI. p. 460, 469. &c. Adde locum *Svetonii* in Vitellio Cap. 11. *Et ne cui dubium foret, quod exemplar regendæ Reip. eligeret, medio Martio campo adhibita publicorum sacerdotum frequentia, inferias Neroni dedit.* Denique alii omnino esse videntur LIBRI SACERDOTVM POP. ROM. apud laudatum *Gellium* Lib. XIII. Cap. 21. (in edit. Gronov. 22) princ. *Comprecationes deum immortalium, quæ ritu Romano fiunt, exposita sunt in libris sacerdotum populi Romani* - quos nuspiam alibi memoratos invenio.

SACRORVM LIBRI a *Servio* allegantur ad illud *Virgilii* Eclog. VII. v. 31.

levi de marmore tota-

Verba Auctoris sunt pag. m. 39. *Sane in libris sacrorum refertur sacrum dici, quod rite sacratur, ut ædis, aræ simulacra, dona.* ubi *Trebatius* forte intelligitur, cujus ex *Libro primo de Religionibus* hoc refert *Macrobius* Lib. III. Sat. cap. 3. *sacrum est, quicquid est, quod deorum habetur.* Adde ex eodem Servio (ad Virgilii Lib. IX. Æneid. v. 408) pag. m. 573. *Tholus proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt: ad quod dona suspendi consueverant. Quæ tamdiu dona dici poterant, quamdiu non profana fierent, sicuti in libris sacrorum refertur.* Scripsit autem ex veteribus

Clo-

Cloatius Verus, Grammaticus, *Libros Sacrorum*, (vide *Partem I*) item *Babius Macer* de *festalibus Sacrorum*, (ibid.) *Varro* de *Sacris Privatis & Publicis*, nec non *Tertius* de *ritu Sacrorum*.

SCIPIONIS AFRICANI VITA. *Gellius* Lib. III. cap. 4. princ. *In Libris*, inquit, *quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus*, *scriptum esse animadvertimus* - forte C. *Oppii* aut *Julii Hygini*, qui vitam & res gestas Africani litteris tradiderunt, teste eodem Lib. VII. cap. 1. de quibus videri potest *Vossius* Lib. I. de Hist. Lat. Cap. 13. p. 67-& Cap. 20. pag. 102- Ceterum & *Ennius* Auctor haberi potuisset, nisi *Libros* dixisset Gellius. Nam Ennius *Librum* tantum scripsit, qui *Scipio* inscriptus fertur, ex quo hunc versiculum Idem adducit Lib. IV. Cap. 7.

Qui propter Hannibalis copias considerant.

Conf. *Macrob.* Lib. VI. Saturn. Cap. 2. pag. m. 542, & Cap. 4. p. 548. nec non *Suid.* p. m. 295. Taceo de *Lucilio*, qui *vitam Scipionis* nostri scripsisse nonnullis creditur, de quo alii dudum disseruere. Taceo de *Plutarcho*.

SOMNI LAUDES. v. *Laudes*.

de SOMNIIS Scriptores citantur *Servio* (ad Libr. VI. Æneid. v. 284.) pag. m. 431. *Qui de somniis scripserunt, dicunt, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia.* Intelligit forte in Latinis Scriptoribus *Fabianum*, (de quo Parte I. memini) qui *de Somniis* disseruisse videtur ex illo *Plinii* Lib. XXIIX. Cap. 4. pag. m. 17. *Aristoteles & Fabianus plurimum somniari circa vernum & autumnum tradunt, magisque supino cubitu ac pro-*

no nihil. Certe apud *Valerium Maximum* Lib. I. Cap. 7. *de Somniis* nihil hujusmodi reperitur, neque enim hic caufas phyficas indagat, fed hiftoriam tantum & eventus refert. Taceo de Scriptoribus Græcis, *Ariftotele, Hippocrate, Stratone, Antiphone, Serapione, Artemone, Cratippo, Epicharmo, Dionyfio Rhodio,* aliis, quorum *de Somniis* philofophumena nofter minime refpicere videtur

SVASORIA AGAMEMNONIS, Declamatio incerti auctoris memoratur *Petronio* Satyr. pag. m. 21. *Dum in hoc dictorum æftu totus incedo, ingens Scholafticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nefcio cujus, qui Agamemnonis fuaforiam exceperat.*

T.

TEMPORVM AVGVSTI HISTORIA. v. *Hiftoria.*

TRIVMPHORVM ACTA. v. *Acta.*

TRIVMPHVS CVPIDINIS, incerti Auctoris Carmen, memoratur *Lactantio I,* 11, 1. feqv. *Non infulfe quidam poeta Triumphum Cupidinis fcripfit, quo in libro non modo potentiffimum deorum Cupidinem fed etiam victorem* (fc. deorum) *facit. Enumeratis enim amoribus fingulorum, quibus in poteftatem Cupidinis ditionemque veniffent: inftruit pompam, in qua Jupiter cum ceteris diis ante currum triumphantis ducitur catenatus.*

TVSCÆ HISTORIÆ. v. *Hiftoriæ.*

V.

VERBORVM VETERVM LIBRI citantur *Gellio* Lib. XIII. Cap. 24 (in aliis edit. 23.)

Aliud

Aliud omnino PRAEDA *est,ut in libris rerum verborumque veterum scriptum est, aliud* MANVBIAE *Nam* PRAEDA *dicitur corpora ipsa rerum, quæ capta sunt :* MANVBIÆ *vero appellatæ sunt pecunia a quæstore ex venditione prædæ redacta.* Adde ex Libro XVIII. Cap. 6. *Illud impendio probabilius est, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt,* MATRONAM *dictam esse proprie, quæ -.* Intelligit forte Auctor *Casellii Vindicis Commentarios Antiquarum Lectionum,* (de quibus vide Partem I.) *Velii Longi*, Grammatici doctissimi, *Commentarium de Usu antiquæ locutionis* (allegatum lib. XIIX.cap.9.) *Cæcilii Galli* Libros de *Verborum Significatione*(lib. XVI. Cap. 5) *Gabii Bassi* Libros *de Origine vocabulorum & verborum* (lib. II,4. III,19.V,7.XI,17,)M. *Verrii Flacci* de *Verborum Significatione* (lib. V. c. 17,18)ut alios quamplurimos mittam.

VERSVS CRETICI. v. *Cretici.*

VESTALIS VIRGO. *Gellius* lib. I. Cap. 12 princ. *Qui de Vestali Virgine capienda scripserunt, quorum diligentissime scripsit Labeo Antistius, minorem quam annos VI, majorem quam annos X. natam, negaverunt capi fas esse.* -&c. Conf. seqv. ibid. ex *Atejo Capitone & Fabio Pictore.* Ex recentioribus scriptoribus vide *Thomasinum* de Donariis p. 51. *Barthium* ad Stat. Silv.p. 72. *Lipsii* Syntagma de Vesta & Vestalibus, *Tiraquelli* Notas ad Alexandrum ab Alexandro pag.71. & 114.ut alios taceam.

VICTVS POP. ROMANI. *Gellius* Lib. X. Cap. 23. princ. *Qui de victu atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romæ atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est, vino semper,*

quod temetum prisca lingua appellatur, abstinuisse dicunt: institutumque, ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi(malo *deprehendendi*, quanquam invito *Gronovio) causa, ut odor indicium faceret, si bibissent; bibere autem solitas ferunt loream, passam, murinam, & quæ id genus sapiant, potu dulcia: atque hæc quidem in his, quibus dixi, libris pervolgata sunt*. Conf. *Isidor.* Lib XX. Orig. Cap. 3.

VIRGILII INGENIVM ET MORES scriptorum nonnulli ævo Augusteo retulerunt, quos laudat *Gellius* Lib. XVII. Cap. 10. *Amici familiaresque P. Virgilii, in his, quæ de ingenio moribusque ejus memoriæ tradiderunt, dicere eum solitum ferunt: parere se versus more atque ritu ursino.* Intelligo cumprimis *Julium Hyginum*, cujus quartum *de Virgilio* Librum idem allegat Lib. XVI. Cap. 6. pro quo quintum ponit *Macrobius* Lib. VI. Sat. cap. 9. intelligo *Melissum* illum, de quo Auctor vitæ Virgilii: *In sermone tardissimum*(Virgilium)*ac pene indocto similem fuisse, Melissus tradidit.*

VIRGO VESTALIS. v. *Vestalis*.

VITA SCIPIONIS AFRICANI. v. *Scipionis Vita.*

VITÆ & ÆTATES *Doctorum hominum* citantur *Gellio* Lib. XIII. Cap. 2. *Quibus otium & studium fuit, vitas atque ætates doctorum hominum quærere ac memoriæ tradere, de M. Pacuvio & L. Accio tragicis poetis historiam scripserunt hujuscemodi* &c. conf. seqv. Intellige cumprimis vel *C. Nepotis* Chronicon, vel *Varronis* Libros de poëtis, & similia historiæ Rom. Litterariæ monumenta.

※) o (※

PARS IV.
DE
CLARIS
QVIBVSDAM
VRBIBVS IMPERII ROMANI,
IN QVIBVS BONÆ ARTES PRÆCIPVE FLORVISSE VIDENTVR.

PRÆFATIO
AD
PARTEM QVARTAM.

ECce tibi, Benevole Lector, *Partem IV.* Opuſculi noſtri de Claris quibusdam Imperii Romani Urbibus, in quibus bonæ litteræ præcipue floruiſſe videntur. Partem ſterilem, & Cathedrarum Romanarum gloria atque magnitudine multo anguſtiorem! Fateor; ſed perierunt LAVDES VRBIVM, quas Veterum Scriptorum nonnullos reliquiſſe tradit *Plinius* Lib. III. Epiſt. 21. num. 3. *Fuit moris antiqui, eos, qui vel ſingulorum laudes vel Urbium ſcripſerant, aut honoribus aut pecunia ornare*-qui & ipſemet, ſe *deſcriptiones locorum non hiſtorice tantum ſed prope poetice proſequutum* teſtatur Lib. II. Epiſt. 5. num. 5. Perierunt *Hygini* LIBRI VRBIVM, quorum *ſecundum* allegat *Macrobius* Saturnal. V, 18 ut taceam Libros triginta *Philonis Byblii* Grammatici, itidem deperditos, Περὶ πόλεων καὶ ὃς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξες ἤνεγκε, *de Urbibus, & quos quælibet claros Viros genuerit*, teſte *Suida* in Φίλων p. m. 993. item horum

horum (XXX. Librorum) Epitomen *Ælii Sereni*, apud eundem in Σερῆνος p. 846. Neque vero hoc detrimentum resarciunt illa, quæ supersunt, utriusque linguæ monumenta. Certe *Ausonius* in libro de *Claris Urbibus* Memoriam harum litterariam parcissime imo vix extremis, quod ajunt, digitis attingit, *Plinius* & *Pomponius Mela* nunquam, *Strabo* nonnunquam, sed minus diligenter. Quinimo hanc historiæ partem velut ex compacto neglexisse Veteres mihi videntur, nec observari eam jubet *Quintilianus*, ubi momenta, quæ ad justam Urbium historiam & laudationem pertinent, præcipit Lib. III. Cap. VII. p. m. 177. *Laudantur Urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor: & multum autoritatis affert vetustas - & virtutes ac vitia circa res gestas: eademque in singulis. Illa propria, quæ ex loci positione ac munitione sunt. Cives illis, ut hominibus liberi, decori. Est laus & operum, in quibus honor, utilitas, pulchritudo, autor spectari solet. Honor, ut in templis: utilitas, ut in muris, pulchritudo vel autor, utrobique.* Exemplo porro sunt Laudes *Siciliæ* apud *Ciceronem* Verrina IV, quæ nihil ornamenti litterarii continent, forte

quia

quia ratio instituti pati non potuit. Exemplo sunt Laudes *Narbonis* apud *Sidonium* Carm. XXIII. p. m. 181. quibus Autor salubritatem Urbis tantum prosequitur, amœnitatem, utilitatem &c. non Scholam, non Professores & similia bene constitutæ civitatis specimina. Ceterum quis dubitabit, multo pluribus, quam quæ nobis innotuerunt, sedibus litterarum & bonarum artium ITALIAM floruisse? *Italiam* dico, quæ (verbis utor *Plinii* Lib. III. H. N. c. V.) *omnium terrarum alumna eadem & parens, numine Deum electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret-humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Quis GALLIAM *facundam* (ut vocat *Juvenalis* Sat. XV. v. 111.) tam paucis Gymnasiis contentam fuisse credet, cum in Constitutione Impp. Valentis, Gratiani & Valentiniani, ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum, legitur, *Frequentissimas civitates in Galliis fuisse, quæ pollerent & eminerent claritudine Præceptorum, Rhetorum & Grammaticorum, Atticæ Romanæque doctrinæ?* ut paria *Hieronymi* testimonia in Epistola ad Rusticum Monachum & adversus Vigilantium transeam. Quis

de

de ingeniosa HISPANIA & *Ibero*, quem *peritum* vocat *Horatius* II, Od. 20. v. 20. tam exiliter merito judicabit, ut *Emeritam*, patriam Deciani, ut *Bilbilin*, patriam Martialis, ut *Tarraconem*, *Hispalin*, *Saguntum* & ceteras nobilissimas urbes studiorum nomine ignobiles fuisse existimet? Aliter profecto sentiet, nisi vehementer fallor, qui legit illud *Latini Pacati* in Panegyr. ad Theodosium Cap. IV. p. m. 231. *Hispaniæ uni, quidquid ubique laudatur, assurgit. Hæc facundissimos Oratores, hæc clarissimos Vates parit: hæc judicum mater, hæc Principum est.* Quis sacra eloquentiæ & studiorum in BRITANNIA usquequaque tanquam profana domicilio caruisse putabit, cui locum *Taciti* observare libet in Agricola XXI, 2. *Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent.* item illud *Juvenalis* Sat. XV, v. 111.

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

Brevi:

Brevi: nemo eruditionem & ſtudioſas Rom. exercitationes tam anguſtis finibus circumſcribat, ut earum tantum Urbium muris clauſas putet, quas nos commemoramus: nemo negligentiæ nobis vertat, quod negligentiam Veterum Scriptorum quamlibet invitiſſimi imitamur.

AVGVSTODVNVM, Civitas Æduorum in Gallia, quam ſplendida ſtudiorum ornamentis fuerit & frequentia juventutis Gallicæ nobilis, ex *Tacito* conſtat Annal. III, 43, 2. *Auguſtodunum caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, nobiliſſimam Galliarum ſobolem, liberalibus ſtudiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adjungeret.* Adde *Orationem* ſatis luculentam *Eumenii* & Cap. XIV. ibid. Epiſtolam Imperatoris *Conſtantii* pro Reſtaurandis Scholis Auguſtodunenſium, (quam integram exſcripſimus in *Idea* noſtra *Hiſt. Litter. Rom.* pag. 94-) ubi *Clivienſium* pro *Auguſtodunenſium* legi jubet *Beatus Rhenanus*, ſed parum emendate, quod jam pridem monuit *Jacobus Nicolaus Loenſis* Miſcell. Epiphill. Lib. V. Cap. XXIV. pag. m. 482. Tom. V. Supplem. Theſaur. Gruter. Taceo Antiquitates Romanas, quarum tot ſpectacula hodieque præbet *Auguſtodunum* (Gallice *Autun*) uti *Romam Gallicam* vocare nonnulli non dubitaverint, quod encomium *Arelati* tribuit *Auſonius* de Clar. Urb. VII. p. m. 105.

Gallula Roma Arelas -

Auguſtoduni neſcio quo caſu immemor.

BENEVENTVM, Urbs Samnitum in Italia minime prætereunda videtur, cujus ad litterariam laudem pertinet, quod artes in ea profeſſus ſit *Orbilius Pupillus*, Beneventanus, quod honores ſtatuarum eruditis habuerit (vide *Svetonium* de Ill. Gr. Cap. IX) quod litteras impenſius coluerit, teſte Sym-

Symmacho Lib. I. Ep. III. *Urbs cum maxima sit* (Beneventum) *singuli ejus optimates visi sunt mihi urbe majores, amantes litterarum*-&c.

BRVNDVSIVM, civitatem haud ignobilem Italiæ in agro Hydruntino, studiis & bibliopolio illustrem fuisse crederes ex illo *Gellii* Lib. IX. cap. 4. princ. *Quum e Græcia in Italiam rediremus & Brundusium iremus, egressique e navi in terram in portu illo incluto* (quem tantopere prædicant *Strabo* Lib. VI. *Lucanus* Lib. V. v. 406. *Plinius* Lib. III. H. N. c. XI. & XXVI. & *Ennius* apud laudatum *Gellium* Lib. VI. Cap. 6) *spatiaremur, fasces librorum venalium expositos vidimus. atque ego avide statim pergo ad libros. erant autem isti omnes libri Græci, miraculorum fabularumque pleni*-. Verum certi nihil exinde colligi posse prudenter satis jam ante monuit Vir Clar. *Christianus Schœttgenius* de Librariis & Bibliopolis Antiquorum §. XIV. extr. Ceterum non parum decoris litterarii *Brundusio* sive *Brundisio* afferre videtur nativitas poëtæ celeberrimi M. *Pacuvii*, nemini paulo humaniori ignota, nec non obitus *Virgilii*, cujus ossa Neapolim postea translata sunt ibique condita, teste *Donato*.

BVRDIGALA, nobilissimum Aquitanorum in Gallia emporium, quam præclarum litterarum domicilium fuerit, quam fœcunda ingeniorum alumna, luculentus & auctor & testis est civis Burdigalensis *Ausonius* de Claris Urbibus num. XIII. pag. m. 107

Impia jam dudum condemno silentia, quod te,
O patria, insignem Baccho, fluviisque virisque,
Moribus ingeniisque hominum-&c.

Confer ejusdem Commemorationem Professorum Burdigalensium, & num. II. ibid. de *Cathedra Burdigalensi* p. m. 63.

Adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum:
Non sit Burdigalæ dum Cathedra inferior.
Mille foro dedit hæc juvenes: bis mille senatus
Adjecit numero purpureisque togis.

item num. XI, p. 73. de Phæbitio, qui

Burdigalæ Cathedram
Nati opera obtinuit.

nec non num. XII. p. 75.

Herculane, qui profectus gremio de nostro & schola,
Spem magis quam rem fruendam præbuisti avunculo,
Particeps Scholæ & cathedræ pæne successor meæ, &c.

Confer, inquam, *Sidonium Apollinarem* Lib. VIII. Epist. IX. de *Lampridio*, Rhetore Burdigalensi, quem *decus Thaliæ* Romanæ vocat pag. m. 515. item Epist. XI. nec non Lib. IX. Epist. XIII. pag. m. 596.

Illud vix Leo, rex Castalii chori,
Vix hunc qui sequitur, Lampridius queat,
Declamans gemini pondere sub styli
Coram discipulis Burdegalensibus.

CALAGVRRIS, Civitas Hispaniæ in Vasconibus, minime negligenda videtur & suo litterarum honore defraudanda, quippe cui *Cathedram* tribuit

tribuit *Ausonius* in Commemoratione Professorum Burdigalensium Carm. II. p. m. 63.

Adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum:
Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.

Intellige *Fabium Quintilianum*, qui & ipse Lib. I. Institut. Orat. Cap. 2. illustrem Calagurri scholam fuisse testatur his verbis: *Non inutilem scio servatum esse a præceptoribus meis* (Caligurritanis) *morem, qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant, & ita superiore quisque loco declamabat, ut præcedere profectu videbatur.* Conf. *Idea* nostra *Hist. Litter. Rom.* pag. 91.

CARTHAGO postquam imperio Romano parere cœperat, ad eloquentiæ Romanæ imperium pertinere videtur. Habuit nempe *Scholas*, in quibus litteræ latinæ tradebantur, teste *Tertulliano* adversus Valentinianos pag. m. 293. (edit. Paris. 1534. in fol.) *In scholis Carthaginiensibus fuit quidam frigidissimus rhetor Latinus, Phosphorus nomine*, &c. Carthaginienses fuere *Tertullianus* jam laudatus & *Cyprianus*, nec non *Tullius Marcellus*, qui, teste *Cassiodoro*, septem libros de Categoricis & hypotheticis syllogismis scripsit, nec non de fontibus, Latine. Habuit porro Carthago *Bibliothecam*, de qua meminit *Apulejus* in Floridis p. m. 512. *Non secus & mihi liceat nullam longinquam & transmarinam civitatem hic, sed enim ipsius Carthaginis vel curiam vel bibliothecam substituere. Igitur proinde habetote, si curia digna protulero, ut si in ipsa cu-*

 ria

ria me audiatis : si erudita fuerint, ut si in bibliotheca legantur. Denique laudes addere libet, quibus hic Carthaginem, patriam suam, velut eruditionis & bonarum artium domicilium extollit ibidem pag. 517. *Quæ major laus aut certior, quam Carthagini bene dicere, ubi tota civitas eruditissimi estis : penes quos omnem disciplinam pueri discunt, juvenes ostentant, senes docent? Carthago Provinciæ nostræ magistra venerabilis : Carthago Africæ Musa cœlestis, Carthago Camœna togatorum.* Confer præcedentia pag. 515. *Hanc ego vobis mercedem, Carthaginienses, ubique gentium dependo, pro disciplinis, quas in pueritia sum apud vos adeptus. Ubique enim me vestræ civitatis alumnum fero; ubique vos omnimodis laudibus celebro; vestras disciplinas studiosius percolo.*

COMVM sive NÓVVM COMVM, Galliæ Cisalpinæ civitas, Plinii Junioris beneficio primum ad famam litterarum pervenisse videtur. Nimirum annuos hic sumtus in alimenta ingenuorum dedit, ut domi juventus, quæ Mediolanum studiorum causa ablegari solebat, instituereretur, dedicata simul bibliotheca, de qua in *Sermone* nostro *Panegyrico de Variarum Gentium Bibliothecis scholasticis* diximus pag. 17. seqv. Confer *Gruteri* Inscriptionem hujusmodi ex Marmore Mediolanensi pag. 1028. DEDIT. IN. ALIMENT. PVEROR. ET. PVELLAR. PLEB. VRB. H-S-- IN. TVTELAM. BIBLIOTHECÆ. H-S. C. Adde Libr. IV. *Plinii* Epist. 13. in qua Auctor, municipes suos hortatus, ut scholam instituant,

ant, etiam tertiam sumtus partem pollicitus, *Cornelium Tacitum* rogat, ut præceptores idoneos conducat. Quo & pertinet, quod ad *Caninium* scribit Lib. VII. Epist. 18. *Pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipavi: eundem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus.* &c. NOVOCOMENSES celebriores sunt *Plinius* laudatus & *Caninius*, atque nisi fallor, *Cornel. Minutianus*, de quo vide Partem II. Taceo hic *Benedicti Zobi* Comensis Veterum monumentorum, quæ tum Comi, tum ejus in agro reperta sunt, Collectanea, MSta in Bibliotheca V. C. *Raphaelis Fresnei*, quorum notitiam debeo *Philippo Labbe* Biblioth. Bibliothecar. p. m. 670.

CORDUBA, (hodie *Cordova*) Urbs Hispaniæ, clarissima quondam nobilium & patriciorum Romanorum sedes, teste *Strabone* Lib. III. p. m. 207. & *Plinio*, qui Lib. III. Cap. 1. pag. m. 91. *Coloniam patritiam* cognominatam fuisse tradit, eloquentiæ Romanæ sacris initiata fuit etiam ante tempora *Ciceronis*, cui tamen in Oratione pro Archia Cap. 8. extr. Poëtæ Cordubenses *pingue & peregrinum sonare*, videntur. Vides deperdita poëticarum Cordubæ antiquitatum monumenta. Conf. *Seneca* Suasor. II. de *Sextilio Hena*, municipe suo Cordubensi, ingenioso magis quam erudito poëta, & inæquali, nec non *Lil. Gyrald.* Dialog. IV. de Poëtis pag. m. 514, 515. Post ætatem Ciceronis caput Cordubæ extulerunt uterque *Seneca* & *Lucanus*, unde *Martialis* Lib. I. Epigr. LXII

Duosque Senecas unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

NB. *facunda*, unde eloquentiam & bonas litteras in hac civitate floruisse conjicio. Confer loca *Caesaris* & *Pollionis* in epistola ad Ciceronem, quae de *Corduba* refert *Morhofius* in libello elegantissimo de *Patavinitate Liviana* Cap. XV. pag. 186.

Ceterum de *Corduba* scripsit *Ambrosius Morales* Cordubensis, teste *Labbeo* in Bibliotheca Bibliothecarum p. m. 515.

CREMONA, civitas Italiae, minime illiterata fuit, cum *Virgilium* in ea studuisse tradit *Servius* in vita poëtae: *Diversis in locis litteris operam dedit* (Virgilius) *nam & Cremonae & Mediolani & Neapoli studuit*. Conf. *Strab.* Lib. V. p. m. 331. edit. Amstelod. 1707. in fol. qui *illustrem* urbem appellat.

DVROCORTORVM Rhemorum in Gallia Comata, urbs litteratissima, a *Strabone* Lib. IV. pag. m. 297. nimium quantum extollitur. Ibi sane (verbis utor Viri Clarissimi M. *Ge. Nicolai Kriegk* de Peregrinationibus Romanorum Academicis §. LXX. pag. 71) proventus studiorum largissimus fuit, adeo ut *Athenarum* nomen perinde ac Mediolanum acceperit. Cornelius Fronto, ex Hadriani seculo, rhetor & grammaticus, referente P. Consentio, itidem vetere Grammatico, dixit, illae VESTRAE ATHENAE DVROCORTORO. &c. Conf. *Cellarii* Dissertat. XV. de Studiis Roman. Litterariis in urbe & Provinciis pag. 369. edit. Walch.

FALERII sive FALERIS, Urbs Faliscorum in Etruria, ut obsidione Camilli praeprimis nota

nota eſt, ita & plurimum celebritatis litterariæ debet hiſtoriæ, quam de ludo litterario, pueris & magiſtro, puerorum Faliſcorum proditore, narrat *Plutarchus* in vita Camilli pag. m. 125. *Pueri eorum* (Faliſcorum) *in litterarium ludum commeaverunt, & circum muros deambulandi exercendique corporis gratia ducti a præceptore ſunt. Nam exemplo Græcorum communem puerorum magiſtrum habebant, ut ii ſtatim ab initio una educarentur. Is igitur magiſter capta ex officio ſuo occaſione, civibus inſidias ſtruens, pueros quotidie extra portas urbis eduxit, principio non procul, inde reducens intro ad exercitationes: deinde paulatim ulterius cum ipſis progreſſus eo adſveſecit, ut crederent omnia eſſe tuta: tandem cum univerſis ad excubias Romanorum acceſſit, ſeque & ipſos tradidit, ducique ad Camillum juſſit. Adductus & in medio conſtitutus, puerorum ſe horum magiſtrum eſſe dixit, ſtudium tamen gratificandi Camillo officio ſuo antiquius habuiſſe, ideoque venire & Falerios per hos pueros ei in manum tradere. Indignum hoc viſum facinus Camillo*-qui *lictoribus mandavit, ut proditori veſtes deriperent, manusque in tergum revincirent: pueris autem virgas flagellaque darent, quibus eum ferientes in urbem compellerent* &c. Conf. *Livius* Lib. V. Decad. I. pag. m. 83. qui *Plutarcho* ſua dictaſſe videtur.

GABII, urbs antiquiſſima Campaniæ in Italia, clara inprimis eſt inſtitutione Romuli & Remi, qui *pueri, cum liberalis diſciplinæ capaces facti eſſent, Gabiis Græcarum Latinarumque litterarum ediſcenda-*

ſcendarum gratia commorati ſunt, ut auctor eſt *Aurelius Victor* de Origine Gentis Romanæ c. XXI. princ. Quo quidem Victoris teſtimonio ſi ſuperſtitioſius ſtandum foret, crederes omnino, Gabiis ea tempeſtate floruiſſe litteras Latinas, quæ ſero demum coli cœperunt, teſte *Tranquillo* in Libro de Ill. Gr c. I. Ego Græcis tantum litteris & diſciplinis inſtitutos eos fuiſſe puto, cujus ſententiæ graviſſimum & antiquiſſimum auctorem habeo *Dionyſium Halicarnaſſenſem* Lib. I. p. m. 99. *Amotos a nutricis uberibus* (Romulum & Remum) *voluntate altorum ferunt miſſos in urbem Gabios, non longe a Palantio diſſitam, ut NB. Græcas artes ediſcerent : ibique apud Fauſtuli hoſpites educatos, litteris, muſica, tractandisque more Græco armis inſtitutos, donec pubertatis annos attingerent.* Taceo *Plutarchi* teſtimonium, qui neque Græcarum neque Latinarum litterarum meminit, ſed *conſcio Numitore & alimenta ſuppeditante ſecreto nutritiis, pueros litteris omnique liberali diſciplina Gabiis inſtitutos* fuiſſe unice refert. Atque hæc ſunt ἀξιομνημόνευτα, quæ de *Gabiis litteratis* me adnotaſſe memini.

GADES, ab urbe Roma remotiſſimas, (v. *Juvenal.* Sat. 10. pr.) a litteris & diſciplinis Romanis minus remotas fuiſſe, vel unicum *Columellæ*, ſatis idonei auctoris exemplum evinceret, niſi & plura ſupereſſent, ut *Canii* apud *Martialem* Lib. I. Epigr. 62. p. m. 37.

Gaudent jocoſæ Canio ſuo Gades.

& perquam memorabile illud incerti Gaditani, de quo *Plinius* Junior Lib. II. Epiſt. 3. num 8. *Nunquam*

quam ne legisti, Gaditanum quendam Titi Livii nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat, abiisse? quam brevissimam historiam de pluribus refert *Hieronymus* Epist. CIII. ad Paulinum cap. 1. *Ad T. Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus; & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.*

LVGDVNVM, urbs Galliæ satis incluta (v. *Plutarchus* in vita Hannibalis p. m. 936.) litterarum laude minime caret. *Tabernas librarias* habuit, teste *Plinio* Lib. IX. Epist. 11. num. 3. *Bibliopolas Lugduni esse non putabam: ac tanto libentius ex litteris tuis cognovi venditari libellos meos, quibus peregre manere gratiam, quam in urbe collegerint, delector.* Habuit porro illustrem *Scholam*, de qua *Ausonius* meminit in Gratiarum Actione c. X. p. m. 256. *Quomodo Titianus magister? sed gloriosus ille municipalem Scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem sed utilitate consenuit.* Taceo historiam plane singularem sed ad litterarias Lugduni antiquitates pertinentem, quam de *Caligula* narrat *Svetonius* c. 20. *Edidit in Gallia Lugduni ludos miscellos. sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ. quo certamine ferunt Victoribus præmia Victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine*

P 5 *proximo*

proximo mergi maluiſſent. unde illud Juvenalis Sat. I. v. 44.

Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Confer *Caſauboni* Notas ad *Strabonem* Lib. IV. pag. m. 292.

MASSILIA litterarum emporium in Gallia nobiliſſimum fuit, in quo tyrocinia Romani juvenes poſuere, atque Athenis ipſis, teſte *Strabone* Lib. IV. pag. m. 273. antepoſuere, quo pertinent exempla apud *Tacitum* Annal. IV. 44, 4. *L. Antonium admodum adoleſcentulum ſororis nepotem ſepoſuit Auguſtus in civitatem Maſſilienſem, ubi ſpecie ſtudiorum nomen exilii tegeretur.* & in vita *Agricolæ* IV. 4. *Arcebat eum (*Agricolam*) ab illecebris peccantium præter ipſius bonam integramque naturam, quod ſtatim parvulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerit, locum Græca comitate & provinciali parſimonia miſtum ac bene compoſitum.* nempe Maſſiliæ florebant inprimis Græcæ litteræ, quod nec ipſe *Nogarola* in epiſtola ad Adamum Fumanum *de Italis, qui Græce ſcripſerunt*, inficiatur pag. m. 229. (edit. Fabric. Hamburg. 1709) *At Galli forte linguam Græcam ſuam quoque eſſe contendant, propterea quod Maſſiliæ jam Græcæ litteræ & ſtudia viguerint.* &c. ut tranſeam teſtimonium *Varronis* de linguis Maſſilienſium apud *Iſidorum* Lib. XV. Cap. 1. col. m. 1189. *Varro trilingues eſſe dicit: quod & Græce loquantur & Latine & Gallice.* ad quem locum ita commentatur V. C. *Petrus Hendreich* in libro rariſſimo, cui titulus MASSILIA §. II. pag. 183. „Si hodie lingua Gallica omnium

„diſci-

„disciplinarum ac doctrinarum capax prædicatur, „merito tum temporis Massiliensium talis appella- „ri poterat. Eo autem perfectionis litteræ perve- „nerant, ut neglecta Atheniensium schola, omni- „um illo disciplinarum quondam templo ac com- „muni sapientiæ oraculo, Romani, Galli, Hispani „in hunc bonarum artium mercatum opulentissi- „mum, non secus ac Rhodum aut Alexandriam „Philosophiæ Græcæque linguæ gratia confluerent „frequentissimi, nomenque, derogato Athenis suo, „Athenopolis sive Athenarum Gallicarum Acade- miæ huic dederint.-&c.„ Alia de eruditione & studiis Massiliensium quære apud alios, *Jo. Casp. Kuhnium* de Massilia, *Ubbonem Emmium* de Statu & Republica Massiliensium, *Berneggerum* in Svet. Cæs. c. 34. p. 74. seqv. *Rupertum* in Flor. IV. 2,24. p. 592. *Kirchmaierum* in Taciti Germ. Cap. 3. p. 65. & denique *Ge. Nicolaum Kriegk* de Peregrinationibus Romanorum Academicis §. XLIX - LIII. pag. 51-54. ut taceam *Orationem pro Gallia*, quam *Joachimo Ernesto* Duci Holsatiæ, tribuit *Thomas Lansius*, pag. m. 171. edit. Tubing. 1620. in 4. quo pertinet *Lettre écrite par Mr.* de la Roque *a Mr. Rigord, subdelegué de l'Intendance de Provence a Marseille, sur le projet d'etablir en cette Ville une Academie des Sciences & des belles lettres, où il est parlé de l'ancienne Academie de Marseille, & des Marseillois, qui se sont distinguez dans les sciences & dans les beaux Arts.* Conf. *Memoires de Trevoux* Mens. Januar. 1717. Num XIV.

MEDIOLANVM sive MEDIOLANIVM (quod

(quod vult *Laurentius Abſtemius* Maceratenſis in Annotationibus Variis pag. m. 888. Tom. I. Theſaur. Gruter.) florentiſſimam ſtudiorum ſedem fuiſſe nemo ignorat, qui legit illud *Plinii* Lib. IV. Ep. 13. num 3. ſeqv. *Proxime quum in patria mea fui, venit ad me ſalutandum municipis mei filius prætextatus. Huic ergo,* (forte *ego*) *ſtudes ? inquam. Reſpondit, Etiam. Ubi ? Mediolani. Cur non hic ? Et pater ejus, (erat enim una, atque etiam ipſe adduxerat puerum) Quia nullos hic præceptores habemus*-&c. quo pertinet Inſcriptio Mediolanenſis ſub Antonino Pio apud *Gruterum* p.177. n.4. A QVÆ. DVCTVM. IN. NOVIS. ATHENIS. (ita dictum *Mediolanum*) COEPTVM. A. DIVO. HADRIANO. PATRE. SVO. CONSVMMAVIT. DEDICAVIT. QVE. Conf. Cluver. Ital. Antiqv. I. 24. & *Cellar.* in Notis ad locum Plinii citatum. Neque vero prætereundum, quod *Virgilius*, teſte *Servio* in vita poëtæ, Mediolani ſtuduit. Adde elogium Mediolani apud *Auſonium* de Claris Urbibus num. IV. pag. m. 103.

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda Virorum
Ingenia, antiqui mores. &c.

Taceo ſequiora tempora, quibus Mediolanum Doctoribus Chriſtianis inprimis *Ambroſio*, inclaruit, de quo vid. *Auguſtinus* Lib. VIII. Confeſſ. Cap. VI. Taceo Monumenta antiqua urbis Mediolani ab *Alciato* collecta, quæ duobus poſtea libris in folio ſupplevit *Franciſcus Ciciercius*, Patricius Mediolanenſis, quos inter Codices manu exaratos in Bibliotheca

V. C.

V. C. Raphaëlis Fresnei reperiri tradit *Philippus Labbe* in Bibliotheca Bibliothecar. p. m. 670.

NARBO, Urbs incluta Galliæ, mercatura nescio an bonis artibus magis floruit. Certe illustrem *scholam* habuisse videtur ex illo *Ausonii* in Commemoratione Professorum Burdigalensium num. XIX. de *Marcello*, Grammatico Narbonensi, p. m. 79.

Nec te Marcello genitus (lego *genitum*) *Marcelle silebo*,
Aspera quem genitrix urbe, domo pepulit.
Sed fortuna potens cito reddidit omnia & auxit,
Amissam primum Narbo dedit patriam &c.
Mox Schola & auditor multus, prætextaque pubes
Grammatici nomen divitiasque dedit.

Cui consonant præcedentia ibidem num. XIIX. de *Exuperio* Rhetore pag. 78.

Exuperi memorande mihi - &c.
Palladiæ primum toga te venerata Tolosæ:
Mox pepulit; levitate pari Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos fatalia regum
Nomina tum pueros grandi mercede docendi
Formasti Rhetor metam prope puberis ævi.

Adde ex numero XX. p. 80. de *Sedato* :

Est tua nunc soboles moremque secuta parentis,
Narbonem ac Romam nobilitat studiis.

item Parental. IV. p. 47. de *Æmilio Magno Arborio, avunculo Ausonii :*

Qui

Qui me lactentem puerum juvenemque virumque
Artibus ornasti, quas didicisse juvat.
Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosa,
Te Narbonensis Gallia præposuit,
Ornasti cujus Latio sermone tribunal-&c.

Taceo de *Consentio*, poëta Narbonensi, apud *Sidonium* Carm. XXIII. de quo vide *Partem I.*

NEAPOLIS in Italia sedes litterarum prædicatur *Kriegkio* (lib. cit.) aliisque, & in iis urbibus numeratur, quas studiorum gratia petere solebant Romani. Loca vero auctorum, quæ afferuntur, litteras non attingunt, sed certamina gymnica, salubritatem aëris, observantiam rituum Græcorum & similia. Ceterum non immerito prædicatur. Floruit Græcis Latinisque litteris, teste *Gellio* meo Lib. IX. Cap. 15. princ. *Cum Antonio Juliano rhetore, per feriarum tempus æstivarum, decedere ex urbis æstu volentes, Neapolim concesseramus, atque ibi erat adolescens tunc quispiam ex ditioribus cum utriusque linguæ magistris meditans & exercens, ad causas Romæ orandas, eloquentiæ latinæ facultatem, atque is rogat Julianum, uti sese audiat declamantem* &c. Adde, quod de *Virgilio* refert *Servius* in Vita poëtæ, sub init. *Diversis in locis litteris operam dedit; nam & Cremonæ & Mediolani & Neapoli studuit.* Philosophum *Epictetum* senatusconsulto Roma ejectum temporibus Domitiani, hic docuisse crederes, quod Codex MS. Regius Gellii Lib. XV. Cap. 11. ita habet: *Qua tempestate Epictetus quoque philosophus propter id senatusconsultum Neapolin Roma*

ma decessit. Lege autem cum pluribus *Nicopolin*, (nam tota Italia adeoque & Neapoli interdicti ibidem philosophi perhibentur) & cum *Fabricio* meo Lib. IV. Bibl. Gr. cap. VII. (p. m. 258. in Notis litt. l.) intellige *Nicopolin* apud Actium, conditam ab Augusto Imperatore, hodie *Prevezo* sive *Priviso*. Patriam Statii *Neapolin* fuisse, nemo paulo humanior ignorat. Sed neque prætereundum putamus, quod Neapoli sepultus fuit *Virgilius*, unde *Plinius* Lib. III. Epist. 7. n. 8. de Silio Italico: *Vergilii ante omnes imaginem venerabatur, cujus natalem religiosius, quam suum, celebrabat; Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adire, ut templum, solebat.* Adde Inscriptionem in Notis Cellarianis ex *Mabillonii* Mus. Ital. p. 112. SISTITE. VIATORES. QVÆSO. PAVCA. LEGITE. HIC. MARO. SITVS. EST. Denique ex Oratione *Laurentii Wensini pro Italia* (quæ in Fr. Achillis Ducis Wurtemberg. *Consultatione de principatu inter provincias Europæ* exstat & paucorum manibus teritur) nonnulla exscribere libet, quæ Auctor in laudem Neapolitanam tam veterem quam hodiernam congessit p. m. 648. edit. Tubing. 1620. in 4. „In „primis placuerat *Neapolis* ante omnia alia loca, „quæ Romanis atque aliis vel studiorum vel otii „vel voluptatis & deliciarum atque etiam sanitatis „jucundissimus esset secessus. Atque ita isthic

„*exemtum curis gravioribus ævum*

„egerunt P. Virgilius, qui Georgicorum libros ibi„dem composuit; T. Livius, Horatius Flaccus, „Statius Papinius, Claudius Claudianus, Annæus

„Seneca,

„Seneca, Agellius, Franciſcus Petrarcha Regi Nea-„politano Roberto amiciſſimus, Antonius Becca-„dellus Bononienſis, cognomine Panormitanus, O-„rator, Laurentius Valla Romanus, Porcellius Ro-„manus poëta, Blondus Forolivienſis, Bartholo-„mæus Facius Sulmonenſis & alii innumerabiles. „Nec minus hac ætate Principes, Duces, Marchio-„nes, Comites, Barones, ſummatesque viri totius re-„gni Neapolitani, majorem anni partem hic exi-„gunt, ut credam, paucas in Orbe reperiri civitates, „ubi par Nobilium & illuſtrium hominum conve-„niat numerus„ Conf. *Strabo* Lib. V. p. m. 378. & Hiſtoria Italica *Joannis Antonii Summontii* 1601. in 4. nec non Hiſtoria Neapolitana *Julii Cæſaris Capacii* 1607. in 4.

OSCA, Urbs florentiſſima Hiſpaniæ, Q. *Sertorii* auſpiciis quomodo litteras & utriusque linguæ magiſtros receperit, pluribus narrat *Plutarchus* in vita Sertorii pag. m. 575. Μάλιςα εἷλεν (ὁ Σερτώριος) αὐτὰς τὰ τῶν Παίδων. τὰς γὰρ εὐγενεςάτας ἀπὸ τῶν ἔθνων συναγαγὼν εἰς Ὄσκαν πόλιν μεγάλην, διδασκάλας ἐπιςήσας, Ἑλληνικῶν τε καὶ Ρωμαικῶν μαθημάτων, ἔργῳ μὲν ἐξωμηρεύσατο, λόγῳ δὲ ἐπαίδευεν ὡς εὐδράσι γενομένοις πολιτείας τε μεταδώσων καὶ ἀρχῆς. οἱ δὲ πατέρες ἥδοντο θαυμαςῶς, τὰς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες μάλα κοσμίως φοιτῶντας εἰς τὰ διδασκαλεῖα, καὶ τὸν Σερτώριον ὑπὲρ αὐτῶν μισθοὺς τελᾶντα, καὶ πολλάκις ἀποδείξεις λαμβάνοντα, καὶ γέρα τοῖς ἀξίοις νέμοντα καὶ τὰ χρυσᾶ περιδέραια δωρούμενον-id eſt, *Præcipue cepit eos* (Hiſpanos) *puerorum diſci-*

disciplina, nam ex parentibus sibi gentibus nobilissimam in Oscam amplam urbem contraxit, iisque doctores præfecit litterarum Græcarum & Latinarum. Ita illos revera habebat obsides, verbo erudiebat, ostendens, ubi crevissent, civitate Romana eos donaturum se atque ad honores provecturum. Quorum genitores delectabantur, quod filios conspicerent prætextatos, decore ad ludum litterarium commeantes, pendentem pro his salarium Sertorium, crebro sumentem specimen, præmiaque meritis tribuentem & aureas bullas donantem. Sed & conferri ibidem poteſt pag. 581. ubi *Sertorius ab humanitate & lenitate pristina degenerans, Hispanorum filios, qui Oscæ educabantur, violasse* dicitur, *ac partem eorum occidisse, alios sub corona vendidisse.* Atque hæc ſunt maxime memorabilia, quæ de *Osca litterata* me legiſſe memini.

PATAVIUM, inclutam hodie in Italia ſtudiorum ſedem, antiquitus nequaquam litterarum gloria caruiſſe, teſtes ſunt *Morhofius* de Patavinitate Liviana, *Sertorius Ursatus* in Monumentis Patavinis, *Laurentius Pignorius* in Libro Originum Patavinarum, *Jacobi Philippi Thomasini* Urbis Patavinæ Inſcriptiones ſacræ & profanæ &c. Atque utinam non periiſſet Liber *de Origine Patavina*, cujus auctorem ſe profitetur incertus ille, cujus eſt *Origo Gentis Romanæ*, nempe *Sextus Aurelius Victor*, vel (quem mavult *Popma*) *Asconius Pedianus*; (vid. *Fabricii* Bibl. Lat. lib. III. Cap. 9. p. m. 571. *Vossius* de H. Lat. Lib. II. Cap. 8. p. 196. & *Molleri* Homonymoſc. Cap. IV. pag. 412.) certe minus obſcuram tam

amplæ & opulentæ civitatis memoriam litterariam forte experiremur. Ceterum non parum interesse existimamus ad ornamentum & decus Patavii, quod Viros genuit clarissimos, *T. Livium* Historicum, *Aruntium Stellam* & *Valerium Flaccum* poëtas, unde & felicem *Aponam* (id est *Patavium*, ita dictum a fonte *Apono*, de quo v. *Cassiodor.* Lib. II. Var. Epist. 39. *Claudianum*, *Sidonium*, alios) prædicat *Martialis* Lib. I. Epigr. LXII. p. m. 37.

Marone felix Mantua est,
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.

Conf. Epigr. LXXVII. ad Valerium Flaccum.

PICTAVIUM, in Gallia, (hodie *Poictiers*) studiis olim conspicuum fuisse & Cathedra ornatum, ex verbis *Ausonii* conjicio in Commemoratione Professorum Burdigalensium Carm. XI. pag. m. 74.

Pange & Anastasio (Grammatico Pictavorum)
Flebile, Musa, melum.
Burdigalæ genitum
Transtulit ambitio
Pictonicæque dedit, sc. urbi.

Quo pertinet Epigramma L. de imagine Rufi Rhetoris p. m. 13.

Ore pulchro & ore muto scire vis, quæ sim? volo
Imago Rufi Rhetoris Pictavici.

sive, quod aliis placet, *Pictavicæ* sc. urbis.

ROMA quam magnificum litterarum domicilium fuerit, dicere non attinet post *Hermannum Conringium* de Studiis liberalibus Urbis Romæ & *Chri-*

Christophorum Cellarium de studiis Romanorum litterariis in urbe & provinciis, quibuscum conferri potest, si placet, *Idea* nostra *Historiæ Litterariæ Romanorum*. Taceo Auctores alios, qui de Urbe Roma scripserunt, de quibus vide *Georgii Fabricii* ROMAM Cap. I. Sed in his nihil fere, quod ad sacra Rom. litteraria pertinet, invenies, imo nec in ipso *Fabricio*, præterquam Cap. XI. p. m. 483-486. de *domibus quorundam doctorum*.

THVRIVM sive THVRII Oppidum Italiæ in magna Græcia quantopere studiis olim vacarit, jam pridem ostendit eruditissimus *Lipsius* in Lovanio Lib. III. Cap. 7. Adde ex *Oratione pro Italia*, quam *Laurentio Wensino* tribuit *Thomas Lansius* in Consultatione de principatu inter provincias Europæ, pag. m. 657. „Acumen Italorum in lit„terarum etiam studiis longe transcendit aliorum „hominum conditionem: & illi etiamnum scien„tiarum dictaturam gerere videntur. Inter priscos „occurrunt Thurii, quorum legislator magnus ille „*Charondas*, inter alia scivit, τῶν πολιτῶν τὺς υἱὲς „ἅπαντας μανθάνειν τὰ γράμματα *civium omnes* „*filios discere litteras*: (vid. *Diodor*. Lib. XII. Bi„blioth.) & quia videbat, fore, ut pauperes inopia „fortasse non possent, amplius statuit, ut e publico „civitatis ærario honoraria præceptoribus solveren„tur.„ Adde, inquam, quod *Thuriis in Italia historiam* suam *condidit Herodotus*, teste *Plinio* lib. XII. Hist. Nat. Cap. 4. Conf. Celeb. *Fabricii* mei Biblioth. Græc. Lib. II. Cap. XX. pag. 695, 696.

TOLOSA, Narbonensis Galliæ urbs nobilis-

ſima, ſtudiorum ſingulari laude eminuit, quam proinde *Palladiam* vocat *Martialis* Lib. IX. Epigr. CI.

Marcus Palladiæ non inficianda Toloſæ
Gloria

& *Auſonius* Parental. IV p. m. 48.

Te ſibi Palladiæ antetulit toga docta Toloſæ

nec non in Commemoratione Profeſſ. Burdigal. XIIX.

Palladiæ primum toga te venerata Toloſæ

Conf. ibid. Carm. XVII de *Æmilio Magno Arborio*, Rhetore Toloſæ, & XX de *Sedato*, itidem Rhetore Toloſano, & *Schola Toloſana*, nec non ſupra *Partem* II de L. *Statio Urſulo*, Rhetore Toloſenſi.

TREVIRI, Urbs Galliæ Belgicæ, Cathedram omnino habuiſſe videtur, quod in ea docuit *Urſulus*, Grammaticus doctiſſimus, (non *Statius* ille, de quo diximus Parte II) ad quem Epiſtola *Auſonii* exſtat XVIII pag. m. 229. atque *Harmonius* apud eundem ib. p. 230.

Urſule, Collega nobilis Harmonio.
Harmonio: quem Claranus, quem Scaurus & Aſper:
Quem ſibi conferret Varro, priorque Crates,
Quique ſacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas ſpuriis verſibus appoſuit.
Cecropiæ commune decus, Latiæque Camœnæ,
Solus qui Chium miſcet & Ammineum.

TVSCVLVM, antiquiſſimum illud oppidum in Latio, non incelebri ſcholarum & bonarum artium ornamento præditum fuiſſe, teſtis ſatis locuples

cuples eſt *Livius* Lib. VI. Decad. I. p. m. 99. *Camillus caſtris ante portas* (Tuſculi) *poſitis, eademne forma pacis, quæ in agris oſtentaretur, etiam intra mœnia eſſet, ſcire cupiens: ingreſſus urbem, ubi patentes januas, & tabernis apertis, propoſita omnia in medio vidit: intentosque opifices ſuo quemque operi, & ludos litterarum ſtrepere diſcentium vocibus* &c. Alia eſt Schola Tuſculana *Ciceronis*, de qua vide *Franciſcum Philelphum* & *Alexandrum ab Alexandro* Lib. I. Dier. Gen. Cap. XXIII.

VALENTIA, Gallorum in provincia Narbonenſi oppidum, *frequentiſſimo Athenæo valuit*, inquit Auctor *Orationis pro Gallia* (p. m. 172) quam *Joachimo Erneſto*, Duci Holſatiæ, tribuit *Thomas Lanſius* in Conſultatione de principatu inter provincias Europæ. Quæ quidem notitia cui auctori Veterum debeatur, me neſcire ingenue fateor.

VIENNA, Urbs Galliæ Narbonenſis, Romanorum colonia, in minimis imperii Romani civitatibus litteratis minime cenſenda videtur, quod *Martialis* tantopere de hujus applauſu ſibi ſuisque Carminibus gratulatur Lib. VII. Epigr. 87.


Fertur habere meos, ſi vera eſt fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna ſuas.
Me legit omnis ibi ſenior, juvenisque puerque,
Et coram tetrico caſta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam ſi mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipſo protinus ore bibunt.
Quam meus Hiſpano ſi me Tagus impleat auro,
Paſcat & Hybla meas, paſcat Hymettus apes.


Non nihil ergo sumus, nec blandæ murmure linguæ
Decipimur, credam jam puto, Lause, tibi.

Desideramus hic *Inscriptiones antiquas Viennæ*, quas inter Codices manu exaratos in Bibliotheca V. C. *Raphaelis Fresnei* suo tempore reperiri tradit *Philippus Labbe* in Bibliotheca Bibliothecarum p. m. 671.

VISONTIO sive VESONTIO, urbs Gallorum, in Burgundiæ Comitatu, clara inprimis est *schola* sua, de qua *Ausonius* meminit in Gratiarum Actione ad Gratianum cap. X. p. m. 256. *Quomodo Titianus magister? sed gloriosus ille municipalem Scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed utilitate consenuit.*

VOLATERRÆ, oppidum antiquissimum Etruriæ, quo minus Catalogo nostro excludi debeat, intercedere videtur Auctor Vitæ *Persii*, qui poëtam *usque ad annum* XII. *Volaterris studuisse* tradit: cui testimonio quod adjiciam, plane nihil me habere fateor. De antiquitatum vero monumentis, quæ visentibus hodie ostentat, vide *Joh. Reiskium* in Notis ad *Cluverium* pag. m. 261.





INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

Numerus Romanus significat *Partem*: barbarus *paginam*.

Priscia-

